

# ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS  
Redemptionis Captivorum.

## L I B E R VI.

### S Y N O P S I S .

**A**ugustissimi JOSEPHI I. Imperatoris perpetuus in Ordinem nostrum favor. Ordinis ejusdem scapulare mirabiliter prodigio ignem sifit & restinguat. Comes Ferdinandus Bonaventura Harrachius peregrinè ex hac vita decedit; ejus elogium. Occasione Legationis ad Portam Ottomannicam octava captivorum Redemptio perficitur. Pragensis Domus nostra Fundatio postremò Caesaris Decretò stabilitur. P. Joannes a Cruce obit in Domiro. Vienne in Ecclesia nostra Devotissima CHRISTI cruci affixi effigies collocatur: Quædam per eam obtenta beneficia recensentur. JOSEPHI I. Imperatoris Litteris ad Christianum Augustum Cardinalem Saxoniae & Archi-Episcopum Strigonensem Cœnobium nostrum Posonii contra adversarios defenditur. Nona Redemotio captivorum sequitur. Vita pia & par obitus P. Josephi a Sanctissimo Sacramento. JOSEPHI I. Imperatoris prematura mors. Inter-Regnum, & CAROLI VI. ad Imperialem thronum exaltatio.

### C A P U T I.

Favor Augustissimi JOSEPHI I. Romanorum Imperatoris in Ordine nostro exteris Principibus commendando.

**P**ost excessum Divi LEOPOLDI I. Gloriosissimi Romanorum Imperatoris JOSEPHUS ejus filius Porphyrogenitus Rex Romanorum & Hungariæ, dudum Imperii Collega, in Avito & Paterno throno salutatur Augustus. Deinde decimò Kalendas Octobris in die SS. Mauritii & Sociorum Martyrum Thebææ Legionis consuetis ritibus & Magnificentissimâ pompa a Statibus Inferioris Austriae Fidelitatis Hoc magnum suscipit. Ex oriente instar Solis Princeps AMORE &

Statuum Austriae Homagium.

CCCCC TIMO-

1706.

TIMORE pristinam temporum felicitatem patriæ reddituram ex certo quivis augurabatur. Et reāpse præstigit invictissimus Princeps, ut spes, de ejus felici regimine concepta, neminem fecellerit. Hoc prolixè testantur tot præclara facinora Gloriosissimi hujus Monarchæ, quæ dum aliis dignè celebranda relinquimus, ad ea nunc convertimur, quæ nostrum institutum tangunt; in quibus primas sibi facile partes vendicat insignis illa benevolentia, quâ Augustissimus JOSEPHUS in tenera etiamnum ætate constitutus Ordinem nostrum est complexus, ut ostenderet, se non minus paternæ pietatis, quam potestatis genuinum esse Hæredem: amabat siquidem de nostra familia benè audire ac loqui. Perpetuò insuper observatum fuit non sine magna omnium admiratione, eum, quoties in publicis supplicationibus Augustum Genitorem comitabatur, quando nostri cum aliis Religiosorum cœtibus in Cathedrali Basilica S. Stephani Proto-Martyris honoris causâ consistebant, ut advenientem Imperatorem debita cum reverentia exciperent, observatum est, inquam, eum in tali occasione non tantum ad nostrum cœtum benignos convertisse oculos, sed etiam dum alterum in ejus venerationem genu ipsi curvarent, propius ad nos accessisse, ut singulos a primo ad ultimum attentiū posset contemplari; ut plerique dicherent, Serenissimum Romanorum Regem in Patres Trinitarios solummodò oculos defigere, atque ex hoc signo facilè conjicerent, eum aliquando magnum Ordinis nostri fautorum se exhibitum: unde haud obscurè colliebatur, quod etiam communi vulgabatur famâ, nos ei peculiariter in deliciis esse, qui tam apertis benevolentiae indicis se nobis addictissimum ostendebat.

Gallicana,  
olim Italiae  
Provincia, no-  
bis unitur.

Cortona no-  
bus oritur  
Conventus.

Cæsaris Au-  
toritas im-  
ploratur.

II. Amor iste cum ætate adolevit, qui postmodum in Augustali throno velut Sol in horizonte latius suos fulgores exeruit, iisque non tantum patriæ municipes, sed etiam universum Ordinem illustravit, quem ubique gentium commendandum sibi constituerat. Primam hujus rei experiundæ occasionem suppeditavit unio Congregationis Trinitariæ in Italia, quæ anno hujus Sæculi quinto, die vero vigesima Novembrio in festo S. Patris Nostri FELICIS VALESII Auctoritate Apostolica per Bullatas Litteras, apud S. MARIAM Majorem sub annulo Piscatoris datas, in unum corpus cum nostra Religione coaluit. Annō deinde sequentī ejusdem saeculi accidit, ut fundatio cujusdam novi conventū Cortonæ in Etruria nobis accederet, quem Ordo illi Provinciæ, cum nostra Familia recenter unitæ, adjunxit, ut ea sensim in ampliorem formam redigeretur. Cùm itaque ad illam Fundationem plenè consequendam opus esset consensu Magni Ducis Etruriæ; Cortona namque haud procul Florentiâ dista ejus imperio patet, Auctoritatem Augustissimi Cæsaris opportunè duximus implorandam. Pronæ Clementiæ sati sicut insinuare postulata: id autem cum peragendum esset Litteris, Augustissimus Imperator ad Magnum Duce Etruriæ sequentes dedit:

JOSE-

JOSEPHUS.

1706.

Dilectioni Vestrae aliunde optimè notum est, quam proficua opera in vinea Domini Patres Excalceati Sanctissima TRINITATIS per vitam exemplarem, & specialem zelum animarum pro aeterna salute consequendarum, præsertim verò per Redemptionem captivorum Christianorum præstare soleant, quæ uti in universam Ecclesię Catholicę, atque totius Reipublicæ Christianæ utilitatem redundare apparent, ita etiam dicti Patres propagationem ubique terrarum merentur. Quapropter Dilectionem Vestram hisce obnoxie, & omni, quo possum, efficaciore modo requirendam duxi, velit prefatis Patribus ea desiderata permissione ac licentiâ favere, ut monasteria sui Ordinis in Ditionibus quoque & Statibus Etrurie pro arbitrio suo, & eò securius fundare valeant, quò magis mihi perspectum est, Conventum Liburnensem, sic annuente Summo Pontifice, ex dispositione Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Congregationis Regularium dictis Patribus Congregationis Hispanie jam concessum, & aggregatum esse. Confido Dilectionem Vestram in hoc desiderio eò libenter condescensuram, quod magis talium monasteriorum fundatione Servitium DEI, bonum publicum, miserorūque captivorum solamen providetur; Cui de reliquo uberrimam affectus mei Benevolentiam in omne tempus hisce testor, & confirmo. Viennæ die 27. Januarii 1706.

## CAPUT II.

Scapulare Ordinis nostri mirabiliter ignem sistit,  
& restinguat.

I. **N**saniunt profectò, qui nostris sæculis miracula deesse volunt; ab ipso namque nascentis Ecclesię Catholicę exordio omni tempore fuere, sunt, & erunt signa hæc fidei, virtutisque prodigia DEI Omnipotentis; quasi verò abbreviata *est manus Domini*, qui dixit: *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Ille est, qui facit mirabilia solus. Dignitas autem Sacri Scapularis nostri etsi nunquam non fuerit summè conspicua & venerabilis, sequenti tamen eventu magis inclaruit, cui occasionem dedit incendium die vigesima quinta Junii hōc anno Dukovanii in Moravia, quod gentile prædium est Domini Tiburtii Rzikovii, fortuitò exortum. Incolas propè omnes agrarii labores ruri occupaverant, ut proinde emergenti flammæ nemo ferè in principiis obsisteret, atque adeò ignis viribüs auctus solitā ferociā suā latius serperet. Decem omnino domus in cineres & busta iam refederant; proximum erat, ut ipsum quoque braxatorium,

Semper fue-  
runt, sunt, &  
erunt miracu-  
la.

*Isa. 59 v. 1.*  
*Matth. 28 v. 20.*

*Sal. 7. v. 18.*

Dukovanii  
incendium.

Ccccc 2

sive

1706.

sive domus cerevisiae coquendæ destinata, flammis corriperetur: lignorum ibi, & maceratæ rostæque Cereris magna supplex exposita primum incendio præbebat pabulum, pro immensa possessoris jactura, multis impendiis non resarcienda. In tanto discrimine Reverendus Dominus Georgius Lastovka Loci Parochus omni humano auxiliò destitutus ad Divinum confugit, & Numinis instinctu Scapulare Ordinis nostri ex humeris suis pendulum abstraxit, illudque ardenti domui injicere decrevit, spe concepta minime dubia, ejus virtute flamarum sævitem compressum iri. Aderat eodem tempore Domina Maria Juditha præfati Domini Tiburtii consors, quæ probato Curionis consilio suum quoque Scapulare, pietatis impetu æta, addere voluit, quod cum in tanta festinatione integrum subducere nequiret, ruptis ligulis anteriorem ejus partem, quæ bicolorem crucem præferebat, violenter avulsit, candemque dico Sacerdoti porrexit: iste vero protinus haec duo scapularia colligatis tæniolis simul convolvit, & in medium incendium jactavit. Rem sum dicturus admirabilem! vix ille hoc fecerat, dum, ecce tibi! incendium confessim furorem remisit, flamarum globi paulatim in se redire, & non multo post penitus desiere. Igne itaque sopito post meridiem Reverendus Dominus Sacellanus Horo-Dubianensis recentis conflagrationis famâ excitus Dukovanium convolavit Loci Sacerdotem consolaturus. Huc delatus, cum ambo ad exustam Ecclesiam procederent, & de hoc incendio sermonem misserent, ad domum quoque illam pervenerunt, cui Parochus scapularia injecerat. Parte tunc uterque cupiditate flagravit locum proprius inspiciendi, qui haec prodigiosa scapularia exceperat. Ecce autem, verba sunt ipsius Curionis in Litteris suis de hoc eventu sub fide Sacerdotali scriptis, quod mirandum magis, utrumque integrum, & illæsum & flamma inopinatè reperi; sustuli utrumque venerabundè, & Sanctissime TRINITATI, cui omnis honor, virtus & gloria max in loco gratias egit.

Scapulare illæsum ab igne  
repperitur.  
Hoc prodigiun libello  
confraternitatis inseritur.

II. Sub idem tempus Viennæ ad Sodalium instructionem typis mandabatur nostræ Confraternitatis libellus; cum itaque rei gestæ fama litteris Reverendissimi Domini Ferdinandi ab Ullendorff, Brunæ in monte S. Petri Principis Apostolorum Canonici & Proto-Notarii Apostolici Die sexta Augusti datis, Viennam delata fuisse, permovit novitatis exemplum, ut eidem libello, dum adhuc sub prælo sudaret, hoc prodigium insereretur. Oftenses litteræ ob viri auctoritatem apud Diœcesis Viennensis Vicarium Generalem & Officiale Illusterrimum Dominum Josephum Braittenbœcher fidem invenerunt. Ulteriore tamen inquisitione instituta ad omnem tollendam ambiguitatem Reverendus Dominus Georgius Lastovka, Ecclesiae Dukovanensis Administrator, totius miraculi successum die vigesima septima Augusti litteris suis plenius executus fuit, annum obsignans sequenti Chronographiæ: benedicta sit sanctissima trinitas. Sunt alii, qui & alias addunt miraculi circumstantias, quarum fides cum mihi hæc tenus perfectè non constet, eas omittere volui, ne vel minimam veritati labem aspergam.

III. Re-

Scapulare Or-  
dinis confa-  
granti domui  
injicitur.

Incendium  
scipitur.

III. Reliquum erat, ut unum horum scapularium Viennam mitteretur: at loci Domina tanti thesauri tenacissima suum omnino dimittere noluit. Reverendus verò Dominus Georgius unam duntaxat sui scapularis partem nobis cessit, quæ in aula sive oratorio Confraternitatis ad perpetuam hujus prodigii memoriam in Crystallina theca magni pretii hucusque asservatur cum tribus epistolis, de eodem miraculo fidem facientibus.

1706.  
Pars ejus Scapularis Viennæ asservatur.

### C A P U T III.

#### *Obitus Excellentissimi Domini Ferdinandi Bonaventuræ Comitis Harrachii Fautoris nostri de-sideratissimi.*

I. Cæterum inter horum temporum crudas acerbitates cor frequentia charorum funera lacinaverunt, quæ vitalem Ordinis nostri succum in æthera levantes, ob exortas inde mortoris nubes densos lacrymarum imbræ suscitaverunt. Libitinæ lex una mortalibus ad cupressinam virgam metitur vitae stamina, aureum vitæ filum succidit, ferrumque e fatali forfice spirat desiderium amicorum; Sed vota rapuere venti, spes evanuere velut fumus in auras, earumque in locum dolor cum amore alternans successit.

Frequentia  
charorum fu-  
nera hoc tem-  
pus affert.

II. Fulcrum hucusque fuerat & firma columna Ordinis nostri Excellentissimus Dominus Ferdinandus Bonaventura Comes Harrachius, Religiosissimus suorum religiosorum filiorum Pater, quos in Christiana charitate sibi generat. Summa ejus apud LEOPOLDUM Imperatorem gratia, & apud aulæ Optimates auctoritas, dignitasque nostris perpetuò studebat commodis, non minus sollicitus, quam industriùs ope, arte, consiliò ad causas nostras evincendas, fovendas, promovendas. Id omnium ore decantatum fuit adeò, ut nemo ignoraret ejus præsidio res nostras florere. Si quid nobis accessisset decoris aut emolumenti, magnam ejus partem ad se pertinere gaudebat. In rebus porrò adversis ejus ope vel adminiculò prodibat sèpè præter expectationem felicior evenitus. Indè nobis orta fuit fiducia atque spes in rebus paulò diffilioribus tentandis, aut perficiendis, ut superiùs non in uno loco vidimus: meritus est proinde, quam qui maximè, ut inter primos Ordinis nostri Benefactores recenseretur. Vir in cæteris immortalitate dignus, cujus memoria nullo unquam temporum lapsu in nostris cordibus poterit obliterari, sed quamdiu in hoc nostro Viennensi coenobio lapis stabit super lapidem, semper apud nos extabit ære perennius meritorum ejus monumentum. Id unum perpetuò lugendum, non diutiùs tantò Patronò frui licuisse.

Comite Har-  
rachio super-  
stite res no-  
stra florent.

In omnibus  
necessitatibus  
Ordinis studi-  
osissimus.

Benefactor  
perpetuè no-  
stra dignus  
memorij.

III. Ejus Dignitas eo tempore summum jam fastigium concenderat, quod post obitas magno splendore ad exteriores Principes quaternas Legationes, post suprema Aulæ munia administrata de Patria, de Republica optimè meritus, vitâ cum æviterno decore in senectutem adultâ, & post LEOPOLDI Romanorum Imperatoris

Vir maxime-  
rum merita-  
rum.

1706. excessum ab aulicis curis liber sibi redditus cogitationem admissit Aquas Carolinas in Bohemia adeundi restaurandæ valetudinis gratiâ, ut eâ recuperatâ multis diutius prodesset. Sed contra accidit; inexorabilis siquidem naturæ lex medicorum intercepit consilia, quando eum hydropisi, omne pharmacum eludente, oppressit. Ergo cùm sibi extrema imminere cognovisset, simul D<sup>E</sup>I optimi voluntatem æquō animō excipere, exosculari & mori fortiter constituit. Susceptis igitur pro animæ medela Sacrîs mystériis, & confessis supremæ voluntatis tabulîs; ubi pariter nostræ non pridem institutæ Sodalitatis, cuius ipse Primus & Supremus erat Præfectus, memor fuit, decimô septimô Kalendas Julii ætatis suæ, si mensem demas & diem unum, annô octogesimô vitam hanc mortalem cum immortali permutavit. Honorificè, ut par est, ibidem in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ per modum depositionis tumulatus, donec indè ad Majorum transferretur Sepulchrum, quod extat Viennæ apud Patres Ordinis Excalceatorum S. Augustini.

Mœror & pa-  
rentatio.

IV. Tristissimus inopinatæ mortis nuncius animos omnium ingenti replevit mœrore, & nunc quidem tantò acerbiore, quòd ob locorum distantiam nulla periculum antecesserint indicia. Omnes subito spe destitutis dolor altius fodicavit præcordia. Sed cùm lacrymosis questibûs nihil nos profecturos intelligeremus, placuit dilectam animam communibûs fratrum precibûs DEO commendare. Parili fervore inflammata Confraternitas nostra decrevit solemnibûs exequiis defuncto Rectori suo supremum parentationis officium persolvere; quod suâ præsentia cohonestarunt ambo defuncti Comitis Filii Celsissimus Princeps Franciscus Antonius Episcopus Viennensis, & Excellentissimus Aloysius Thomas paternarum ditionum Hæres, P. Ignatio a S. Michaële Sodalitatis ejusdem Præside defuncti merita oratione funebri celebrante.

## C A P U T IV.

### *Cæsarea Legatio Constantinopolim destinata octava Redemptionis expeditionem promovet.*

Pax Carlovici-  
ensis utring;  
firmatur.

I. **V**ictrices Lauri & Trophæorum adoræ, quas Austriæ Romani Imperii Aquilæ armis latè circumfereabant, desideratissimam meliorum temporum prosperitatem haud ex vano pollicebantur. Obstetricabatur communi spei Pax inter Cæsarem & Turcarum Sultanum in fine prioris saeculi sancta, quam sartam tectamque tueri utriusque potentiae maximè intererat; vires namque Musulmannorum, Marte ac peste attritæ, plus temporis requirebant ad superiores clades resarcendas: Cæsar vero domesticis bellis occupatus in id unicè intentus erat, ut Serenissimo Fratri suo CAROLO III. jura Hispanicæ Monarchie stabiliret, quod sanè negotium totas ejus vires deposcebat. Rebûs itaque in hunc modum constitutis utrique parti tutissimum visum fuit

fuit pacis consilia sectari, eamque ex veteri more reciproca Legatione orbi testatam reddere, cui aptissimam opportunitatem suppeditavit recens Augustissimi Imperatoris JOSEPHI I. ad Paternum Solium evectio. Ad hoc tam splendidum munus obeundum delectus fuit Excellentissimus Ignatius Christophorus Nobilis Dominus de Guarient & Rall, S. R. Imperii & Regni Hungariae Eques, Sacrae Cæsareæ Majestatis a Consiliis Bellicis, qui alias jam anno nonagesimo octavo superioris saeculi in Moscovia Cærei Oratoris partes gloriouse sustinuerat.

Legatio decerratur Constantinopoli.

II. Nostris igitur rebus gerendis præsidium & opportuna evisa fuit occasio ad captivorum Redemptionem uberiori fructu peragendam, veluti ante sexennium in alia hujusmodi Legatione fuerat comprobatum. Ad hunc finem obtinendum parata jam erant universa: sola valetudo P. Redemptoris, quô munere tunc temporis functus fuerat, quem sèpiùs suprà memoravimus, P. Josephus a Sanctissimo Sacramento, haud parvam solitudinem nostris injecerat; is enim periculosò morbò oppressus tam laborioso itineri par esse minimè videbatur. Quamvis autem sive medicorum industriâ, sive naturæ adminiculô, sive flagrantî novæ Redemptoris desideriò paucis post septimanis attritas ægritudine vires non nihil restauraverit, recuperaveritque sanitatem, perspecta tamen viri charitas (nulli discrimini caput subducere solita) permovit Superiores, ut simul ex consilio medici provectæ ætati parcendum, aliúmque Religiosum (viribus integrum & manu promptum) in ejus vices succenturiandum censerent. Verum enim vero cum talis substitutio absque ipsius P. Redemptoris assensu fieri nequiret, ne violaretur ejus officii (quod a Majoribus Ordinis acceperat) Sanctitas, persuadendus erat, ut sponte suâ instantis Redemptionis executionem alteri committeret, ipse tamen in continuo Redemptionis officio persistens res captivorum, ut haec tenus solebat, pro viribus curaret. Neque mora: P. Redemptor, qui omnes etiam nutus Superiorum suorum revereri consueverat, illico consensit, magis tamen parendi, quam suæ sanitati indulgendi studiò ductus. Contestabatur nihilominus, & præsago quasi spiritu frequentius vaticinabatur, in hac Redemptione multas fore exantlandas ærumnas, calamitatésque superandas. Ipse porrò ne interea vanum aut umbraticum duntaxat gereret nomen Redemptoris, promovendis captivorum negotiis domi ferventiùs incubuit, ut sic, quod in uno sibi defuisse putabat, in alio compensaret.

Alter substitutur

III. Procuratorio itaque nomine ad hanc perficiendam Redemptionem substitutus est P. Joannes a S. Felice patriâ Hispanus, sub idem tempus Viennensis Cœnobii Vicarius, cui pro Socio accessit Fr. Joannes a S. Antonio, qui suam industriam & diligentem operam præterita in Redemptione insigniter comprobaverat, & in Cœnobia Illaviensi hujus temporis injurias, vicissitudinésque magnô animo pertulerat.

Procuratoris nomine.

IV. Iter varium & flexuosum per Styriam & Croatiam secundum intervalla designatis stationibüs Legationi peragrandum erat, quod propinquior commodiorque via per Danubium (in

Per Stiriam & Croatiam iter,

1706.

præsenti civilium bellorum tumultu latronibûs infesta, aut aliis hostibûs obsessa) nihil tutum polliceretur: ut proinde tantas opes periculo adeò aperto exponere non temerarium solummodo, sed insaniæ proximum fuisset. Veris igitur initio die vigesima septima Martii, quæ in Sabbathum ante Dominicam Palmarum inciderat, universa Legatio eo splendore ac ordine Aulam Viennensem intravit, quô postea Byzantinas portas erat subitura; cui se pariter hi duo Religiosi nostri adjunxerant captivorum Redemptioni operam daturi. Postquam Augustissimus JOSEPHUS I. Romanorum Imperator cum tota Cæsarea Familia, Aulæ Summis Ministris, & confertissima populi multitudine omnem Legationem in suos ordinis juxta personarum statum, officia & dignitates insigniter digestam magna voluptate perlustrâset, Oratorem aliquo hujus Legationis Ministros, atque cum illis ipsum etiam præsentis Redemptionis Procuratorem ac Fratrem socium, & post istos omnes alios Byzantium abituentes pro Austriaca pietate, Cæsareaque Clementia ad manus Augustæ suavum admisit; quod non minore comitate pariter concessere Imperatrix, Augusta Mater, ejusque Filiae Serenissimæ Archiduces Austriae.

Viennæ re-  
presentatur  
solemnis in-  
gressus Lega-  
tionis,

Ad Augusto-  
rum manus  
osculum ad-  
mittuntur.

Profectionem  
auspicantur.

Cæsarea Le-  
gatio in ter-  
ras Turcicas  
transit.

Fluvia Tureis  
faustum o-  
men.

Belgradum  
solemneriter in-  
grediuntur.

In itinere pa-  
fum occurunt  
Christiani sa-  
pientia

V. Cæterùm cùm in sequentem diem profectio indicata fuisset, sub ipso statim ortu Auroraे onerarii currus præcesserunt, ne leniore suo gressu reliquorum iter remorarentur. Quamvis autem Orator post publicam suam valedictionem aliquot diebus negotiorum causâ in urbe substitisset, Pater tamen cum socio post mutuos in Ecclesia Fratrum amplexus, & exoratam a Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento benedictionem eodem adhuc die itineri se commisit, & Neostadium Legationem secutus est, cui deinceps constanter adhæsit, atque in ejus societate per Styriam & Croatiam in Turcarum ditiones penetravit.

VI. Salankamenum delati ( oppidum est in utriusque Imperii confiniis situm ) die decima septima Maji cum trecentis Raszianis, & centum Germanis militibus ad tres illas columnas processerunt, quæ terras Turcicas a Cæsareis eo tempore dispescebant, quibus ex adverso occurrere quingenti Turcæ, Legationem eâ, quâ pars est, reverentiâ excepturi; quos allocutus stationum Præfectus his verbis compellavit: *Consigno vobis Cæsaris Legatum, hunc omnem benevolentiam a vobis confido experturum.* Et propositâ cautionis Chartâ illi ex utraque parte chyrographis se suis subscriperunt, Petri-Varadini asservandis. Peracta sunt hæc pluviô cœlō, quod Turcæ pro fausto omne ad pacis stabilimentum interpretabantur.

VII. Sequenti die nostri magnâ pompâ Belgradum, Limitaneum Turcarum Præsidium, ingressi comiter admodum excepti fuerunt, utriusque Imperii Primoribûs totô octiduô humanitate ac reciprocâ benevolentia inter se certantibûs. Repetito deinde itinere cùm per Turcica Dominia progrederentur, multi passim eis occurrerunt afflicti Christiani, qui licet libertatem circumferrent, non tamen absque ingentibus miseriis, nec sine suæ gentis contemptu vivebant, & facultatem in patriam suam redeundi consequi haudquam valebant, etsi illam effictim discuperent desiderij Christianas regio-

regiones incolendi: unde etiam nihil magis in votis habebant, quā celerem redditum nostrorum, cūm satis agnoscerent, Legationi non solum grave, sed & ipsis incomodum fore per tot itinera nostros sequi Constantinopolim, ibidem diutiū remorari, & rursus per tanta viarum spatia regredi. Majus tamen erat impedimentum, quod plerique eorum cum infidelibus connubiō juncti, alii quoque salvificam CHRITSI Fidem negāscent Mahometis doctrinā suscepτā, qui licet apostasiæ crimen ex animo detestarentur, nihilque salute animarum suarum desiderabilius haberent, eos tamen nostri sinè gravi vitæ discrimine vel aliis incommoditatibus in libertatem haud poterant vindicare. Inter cætera, quæ sub vase decursu contigerunt, id præcipuum memoriam meretur, quod nunc subnēsto: Philippopoli vir erat Sacris Christianis ab infantia initiatus, sed propter amorem Turcicæ mulieris, quam sibi matrimoniō copulaverat, in transversum actus Christianam Religionem ejuravit. Ex eadem muliere filiolum suscepserat jam quadriennem, vultu, supra quā dīcī potest, speciosum. His nihil obstantibūs decrevit omnia deserere, ut præsentissimo æternæ damnationis periculo animam subduceret. Itaque modis omnibūs obsecrabat nos tro, obtestabaturque, finerent se cautè teatrum Constantinopolim usque sequi; unicum id esse medium animæ salutem in tuto collocandi. Nostri tam ardentiōs commoti preceibūs, ne proditione alicujus res patesceret, eum in curru, ministeriis culinæ deputato, & undique clauso abdidere; commiserat enim Excellentissimus Dominus Legatus Varasdini E. Joanni, utpotè linguarum gnaro & experto condipromo, vietualium omnium & obsconiorum curam. A decima quinta mensis Junii usque ad ejusdem nonam & vigesimam per duas ferè hebdomadas vir ille in dicto curru securè admodūm delituit; sed eodem die manè quidem visus, interdiu quæsitus, nuspian comparuit, quid actum de eo fuerit, dicere non habeo: suspicio tamen fuit, a Janizaris Legationem stipantibus exploratum & plagiariō furtō subtractum fuisse: an verò id ejus propriā an alienā culpā continerit, eadem ratione incompertum permanxit.

VIII. Die quarta Julii Byzantium, præfixam itineris metam, utcunque feliciter omnes tenuerē. P. Redemptor certis de causis, & quidem ex Legati consilio ad decimam usque mensis ejusdem, quā solemniore pompa obeundus erat ingressus, in occulto latuit: opinio fuit, ne si ipse ab initio statim in publico compareret, Turcis omnia explorantibūs suspicio nasceretur, in partium congressu de Christianis mancipiis peculiare quidpiam tractatum iri, atque adeò ipsi ad novas contradictiones proritarentur, aut captivos abderent, vel trans mare prius venum dimitterent. Nec suō fundamentō caruit hæc suspicio, ut successus postea manifestavit; peracto siquidem ingressu, obitisque promore salutationibūs non pauci utriusque sexū Christiani captivi ad P. Redemptoris hospitium accurrerunt patriam & libertatem efflagitantes; sed a Turcicis excubitoribus dirum in modum rejecti, ac fustibūs etiam repulsi fuerunt: illi tamen nihil hac

1706.

Impedimenta  
nē redimi pos-  
sent.Unum secum  
abducunt, sed  
frustraneus ca-  
vavit conatus.Constantino-  
poli Legatio-  
nis ingressus.Accurrunt  
multi Christia-  
ni.

1706. immanitate deterriti, quaquaversum etiam per fenestras ascen-  
dentes penetrabant. Accidit aliquando, ut, cum nonnullae mu-  
lieres captivæ hospitium Patris saepius subire conarentur, saepiūs-  
Factum ma-  
gnimum.  
que retrusæ id consequi nequirent, Dominus Cantius Cæsareus  
orientalium linguarum interpres fortuitè superveniret: is furor  
barbaro multum indignatus eas mulieres, quidquid etiam Janizari  
obniterentur, vi per januam intrusit hospitio, monstravitque  
vir ingenuus, magnanimam audaciam apud eas gentes præstare  
inconditis clamoribus, atque eorum adversis conatibus. Actum  
quidem de quorundam redemptione, pauci tamen in libertatem  
asserti fuerunt; Turcae enim non modo abnuebant sua vendere  
mancipia, sed ea quoque sollicitè abscondebant, mirumque in  
modum jam tunc metuebant Legationis Auctoritatem, quam in  
animis suis talem delineaverant, qualem apud Sultanum & Vezi-  
rium suspectabant Germanorum potentiam.

Constantino-  
poli pauci li-  
berantur.

## C A P U T V.

### *Redemptio in Crimeam multis terrâ marique peri- culis dirigitur.*

In Crimeam  
proficiisci sta-  
tuit Patr.

E causis se-  
quentibus.

I. Cum P. Redemptor prævideret, negotium, cuius causâ Con-  
stantinopolim venerat, lentiùs processurum, & ex com-  
pertis circumstantiis divinaret, vix pauculos quosdam in æstatis  
principio libertati restitui posse; eo namque tempore captivi ad  
transtra damnati per Pontum Euxinum & Archipelagum nauticis  
laboribus occupabantur, multi etiam ruri agebant, ante mensis  
Novembris initium Constantinopolim vix reddituri: ne igitur æ-  
statem sinè fructu consumeret, & Constantinopoli otiosè tædio-  
sique desideret, in Tartariam interim abire decrevit, quamvis  
anceps hæserit, an Crimeam præ Budziakensi eligeret, quarum  
hæc citerior, altera ulterior est, utraque verò immanibus obse-  
pta difficultatibus eum tantò vehementius ab itinere deterrebat,  
quanto firmius ille sibi proposuerat, ineunte hyeme Constanti-  
nopolim redire, & Redemptionem ibidem ad coronidem perdu-  
cere Christianos compeditos a triremibus liberando, quos gra-  
vissimis miseriis conflectari non ignorabat. Ad extremum rebus  
omnibus maturè ponderatis statuit uberioris spe fructus ulterio-  
rem, sive Crimeam adire, idque ob sequentes causas; intelle-  
xerat enim ex relatione cuiusdam hominis, gente Roxolani, appu-  
lisfe non ità pridem ex eadem Tartaria Hebræum quendam, ut  
Christianæ fidei mancipium sive odio in CHRISTUM, sive cupi-  
ditate majoris lucri ad triremes divenderet. Hebræum nostri a-  
etutum investigant, & conveniunt, emuntque hominem ætate  
florentem & robustum viribus, de infelicissima sorte pacto pre-  
tiō ducentorum & septuaginta octo florenorum. Erat is gente  
Silesius Neostadiō, quod Polonicum vocant, oriundus, miles o-  
lim sub cohortibus Principis Eugenii de Sabaudia ætatis annorum  
quinque

quinque ac triginta, & ante sedecim ab hinc annos a Tartaris in captivitatem ductus. Retulit ipse ex fide, plurimos adhuc Christianos inter multa corporis, longè autem plura animæ pericula sub acerbo Crimenium Tartarorum jugo gemere, addens plerosque ex illis captivis esse Germaniae cives, qui præteritò bellò militaria meruere Cæsar's stipendia, & DEO atque Cæsari suo fidem constanter servavere. Præterea ad iter in Crimea maturandum alius Patri supervenit stimulus; quod pariter non ita pridem e Taurica Chersoneso sive Crimea Chani medicus, natione Gallus, Byzantium appulerit, qui tanquam testis oculatus confirmavit, esse omnino verissima, quæ redemptus ille recensuerat, insuper suasit ob copiosam sanctæ hujus expeditionis messem, ut P. Redemptor protinus iter eò arriperet, pollicitus, se comitem atque ducem itineris futurum, totamque suam auctoritatem, quâ in Regia Tartarorum ob artis medicæ peritiam pollebat, in Redemptionis emolumentum & promotionem conversurum. His rationibus, quibus P. Redemptor ad periculosum illud iter suscipiendum impellebatur, accesserunt & aliæ Christianæ Charitati multum consentaneæ, quarum facile princeps erat, quod post tot in Budziakensi Tartaria peractas Redemptiones, si nunc altera post elapsos jam quatuordecim annos Crimensem Tartariam intraret, captivi magnò essent solatiò profundendi, cernentes, se non præteriri, quando affulget occasio ipsis pro voto succurendi. Ex quo deducebat, si nunc bono cum Numine redimeret, quotquot posset, cæteros, quibus redimendis facultates impræsentiarum non suppeterent, tanto constantiores in fide Christiana perseveraturos, & spe proximæ Redemptionis suas interim miseras solaturos, quod quidem Ordinis nostri est institutum, & desiderium, afflictis nimis Christianis, sub jugo paganorum ingemiscientibus, ubique gentium succurrere.

II. Hîs igitur rationum ponderibûs obfirmatus Pater professionem in Crimea decrevit: cùm autem ad omnem eventum alia quedam forent præcavenda, videlicet de captivis, Constantinopoli jam redemptis, interea sustentandis, atque aliis redimendis, si fors opportunitas aliqua ipso absente occurreret: hinc ne ipsis ullò modò deesse videretur, Cæsareum Ministrum Michaëlem Thalmannum accessit, ascítoque R. P. Jacobo Caschodo Societatis JESU Viro Religiosissimo de rebus gerendis cum ipsis consilium initit. Imprimis unanimi suffragiò in Crimea expeditio approbatur: convenient quoque, Patrem prudenter facturum, si captivos ibidem redemptos cum Fratre Joanne socio in Valachiam dimitteret, ipse verò posteà, aut si opportunum censeret, etiam anteà Constantinopolim rediret Christianos remiges a transstris eliberaturus, eosque illis aggregatos, qui Constantinopoli versantur, per Pontum Euxinum & Istri ostia in Valachiam secum duceret, ubi aliis ex Tartaria, a Fratre socio advectis, conjuncti simul cum illis in uno agmine patriam repeterent. Promiserunt autem, se interim sedulam curam captivorum Constantinopoli remanentium gesturos. Insuper ne ullum absente P.

Eeeeez

Redem-

1706.

In Crimea  
invitatur a  
medico Cha-  
ni.

Aliæ nationes.

De instituen-  
da Redempti-  
one fit con-  
sultatio.

1706. Redemptore oriretur obstaculum quoquō modō captivis succur-  
rendi , quatuor millia florenorum apud Cæsareum Internuncium  
deposita fuerunt , quæ in redimendis captivis expenderentur ,  
præsertim si absente P. Redemptore triremes ex mari in portum  
Byzantinum succederent. Promisit etiam D. Thalmannus , se  
apud magnum Vezirium effecturum , ut triremium Præfecti adi-  
gantur captivos , quoscumque eligere liberet , jultō & rationabili  
pretiō vendere. P. Jacobus curam in se suscepit , mulieres tam  
Adrianopolī , quām in aliis locis , quæ per eas regiones redditum  
nostrorum expectabant , cùm ob mutatam nunc itineris rationem  
Redemptio eò amplius non esset perventura , quantocyūs Con-  
stantinopolim advocandi , ut ità simul cum cæteris redemptis per  
mare in Valachiam transfretarent , & ibidem reliquis , quos fra-  
ter socius e Taurica Chersoneso adducturus erat , sese adjunge-  
rent. Ità consultò in hanc omnes ivēre sententiam.

*Ad iter clam  
disponuntur  
omnia.*

*Regis Gallie  
Legatus vult a  
nostris visita-  
ri.*

*Ad hoc ve-  
nia impetrata-*

*Comiter ex-  
cepti & com-  
mendati.*

III. Rebūs ità cunctorum suffragiō stabilitis , vitæ subsidia , quæ  
ad marinum iter visa sunt necessaria , comparantur , cautè ta-  
men & quām secretissimè ; metus namque fuit , ne si id Turcis  
innotesceret , illi pro hæreditario suo in Christianos odio cuncta  
turbarent , ac evererent. Non ignorabat tamen hoc secretum  
Regis Galliarum Legatus , qui utique ex Medico , itineris futuri  
comite & conterraneo suo , omnia rescire potuit , vel debuit.  
Atque hinc alias rursus subnatus est scopulus , qui totam propè  
hanc expeditionem pessum dedisset , P. Redemptor Medicum in  
promissis frigiduscum & varium jam anteā observaverat , ac de-  
inde ex confidentiore amico intelleixerat , Legatum Galliæ ini-  
quō id ferre animō , interminatūmque fuisse ; si P. Redemptor  
se honoris gratiā non acceſſerit visitatum , se Medico diser-  
tè interdicturum , ne ulla tenus nostros sibi adjungeret , aut Re-  
demptioni suā operā vel minimum favorem præstaret. Ad hanc  
gravem difficultatem complanandam , ne vana sæculi politica  
spem bonorum successuum decollaret , quam amor DEI , pro-  
ximique charitas tam firmis basibus imposuerat , initō cum ami-  
cis consilio a Legato Cæsareo est impetratum , ut salva atque in-  
noxia nobis foret venia Galici Regis Legatum invisendi ; hoc si-  
quidem tempore Cæsar a Rege Galliæ cruentissimō bellō disside-  
bat : unde fiebat , ut omnis inter utramque partem societas infi-  
da & suspecta haberetur. Hâc licentiā obtentā nostri nihil mo-  
rati Legatum Gallicum continuò adiverunt , a quo urbano gentis  
more , exquisitisque verborum blandimentis excepti fuerunt.  
Quō officiō Legatus honori suo fatis litatum ratus nostros Me-  
dico in Crimeam proficiscenti impediō commendavit , monuī-  
que , ut provehendo Redemptionis successui omnibūs viribūs co-  
operaretur. Sed quoniam cum nostris etiam Presbyter quidam e  
Societate JESU erat profecturus , qui Evangelicæ prædicationis  
Missionem in Crimeam adornabat , Legatus per eundem quædam  
munuscula pro captanda benevolentia ad Chanum Tartarorum  
direxit , & litteras , in quibus Societatis JESU Presbyterum & P.  
Redemptorem Chano majorem in modum commendavit.

IV. Hoc

IV. Hoc negotiō feliciter absolutō a Legato sunt digressi, sed ne nova echeneide salutare eorum propositum retardaretur, illud, quantum poterant, celabant, & Turcicos præsertim milites (ad ædes Cæsarei Internuncii excubias agentes) rem latere cupiebant. Quarè suas sarcinulas ad hospitium prædicti Medici clam detulerunt, ut hæ ejus rebus intermixtæ ad navim transmittenrentur. Omnibus itaque jam convasatis & dispositis favorabilis duntaxat ventus ad maturandam profectionem desiderabatur, qui navim e portu in altum propelleret, id quod P. Redemptor magnoperè optabat; eum enim anxium admodum solicitumque reddiderat puer aliquis, libertatis recuperandæ desideriō Mahometanam superstitionem complexus, qui apostasiæ pœnitens ad nostros velut ad asylum confugerat gravissimum flagitium detestatus. Hic magnâ curâ, nec minore metu nostrorum in domo cujusdam Christiani aliquamdiu occultus servabatur, quem etiam majoris securitatis causâ P. Redemptor secum in Crimeam deducere cogitabat, ubi cæteris immixtus redemptis facilis negotiō posset in societate Fratris Joannis Valachiam (ut erat constitutum) adire. Ne autem Turcici nautæ puerum agnoscerent, illum rubris vestimentis induerunt ad eam formam, quæ Legati Cæsarei famuli vestiebantur, ut hoc vestium scheme Turcæ crederent, eum ob idiomatis peritiam Patria Cæsareo Oratore ad servitia deputatum fuisse. Atque in hunc modum amictus P. Redemptorem ad hospitium secutus est, eum pariter in Crimeam comitaturus.

V. Die vigesima secunda mensis sextilis ventus in favorem spirare nunciabatur. Optatam hanc navigandi occasionem iterum non modicè afflxit fratrii socii jam pridem tentata valetudo non finè contractæ pestis, tunc in urbe per mortalium corpora atrociter sœvientis, suspicione. Migrandum tamen fuit, quantumvis ille langueret, quod spes esset, eum auræ marinæ fastidiō, sive benefiциō læsam valetudinem restauraturum. Litatum imprimis est DEO ad aras; mox profecturi Cæsareo Internuncio cæterisque domesticis sincerè addictis valedixerunt, eisque captivos suos Constantinopolī redemptos, aliósque interea redimendos prolixè commendarunt. His transactis domo egressi fuerunt, ac si, ut alias consueverant, ad solita sua negotia curanda prodirent, nemine de illorum discessu quidpiam suspicante, puerò autem, cuius paulò ante mentionem fecimus, eos instar famuli subsequentे. Ad Medicum rectâ contenderunt, eumque jamjam abiturientem domi suæ adhuc invenerunt: Sarcinæ, cæteraque subsidia ad viatum necessaria pridem navi fuerant illata. Medicus cum puero illo præcesserat, quia minor in eum cadebat suspicio, quem nostri longius, velut aliud acturi, pedetentim sunt secuti. In Kabak, locus est ad fauces Euxini maris, omnes convenerunt, & sub vesperam soluturam navim concenderunt. Sub medio noctis prosperò vento carbasa inflante litus reliquerunt, & velivolo cursu per crispantes Euxini Ponti undas proiecti centum ferè milliaria sat feliciter emensi sunt. Sed, ut est dubia semper, neque nimis diuturna

1706.  
De Turcis  
cautela.

Puer plurimum  
curarum &  
meritis causa.

Fr. socius in-  
firmatur, non  
sine suspicio-  
ne peccat.

Valedicunt &  
abeunt.

Navim ingre-  
diuntur,

1706.  
Tempesta  
maris.

ventorum fides, sequenti die longè aliam rerum faciem offendebunt; æquor enim subito horrida tempestate in furias actum impotenter efferbuit, navimque per serpentinas ambages fluctus radentem tam sèvè exagitavit, ut ejus regendæ nautarum etiam peritissimos ars simul cum experientia propè destituerit. Nostris ex continua jaëtatione fessi, tum etiam, quòd Turcæ conspectis religiosis scommata & opprobria in Christianos jactare non desisterent, ad carinam sive inferiorem navis locum se receperunt. Frater socius ex inassueta maris nausea vertigine ac frequentissimo vomitu correptus viscera ferè omnia ejicere velle videbatur, quòd tam potente ac violento remedio malignos in corpore humores discussit, & suscepti morbi insidias evasit.

Vomitus ex  
maris nausea  
suffocationem  
pestis in fratre  
auferit.

Scopulos ti-  
menta.

VI. Per duos ferè dies noctesque in talibus ærumnis & periculis laborantes tandem quorundam montium cacumina eminùs conspexerunt, quòd ventorum tempestatisque impetu propelluntur, nautis ob certissimum naufragii periculum tanto conatu ac labore obnitentibüs, ut eorum robur exhausti videretur: proprieto tamen Numine priusquam navis metuendis scopulis allidetur, ventorum rabies non nihil remisit, qua de causa illi navigationem in tutiora litora direxerunt. Vigesimā sextā ejusdem mensis ventis paululum sedatis nostri, dum ex alveo navis emergentes salubrioris auræ desideriō superiora petunt, circumspecturi quoque ubinam locorum nunc versarentur, rati nimis, se haud procul a Taurica Chersoneso abesse, viderunt non sine magno suo mœrore, se rursus in conspectu Byzantine Urbis tam propè constitutos, ut intra duarum horarum spatium ad litus, e quo nautim conscenderant, facile pervenire possent. Sed cùm ventorum ferocia magis magisque invalesceret, & horrisono fremitu undas in exitium navigantium armaret, nautæ laborum impatientes jaëtis anchoris navem fixerunt. P. Jesuita & Medicus itineris comites recreandarum virium gratiâ Constantinopolim regressi fuerunt: nostri verò idem tentare non ausi, ne se in novas insidias conjicerent, puerò illô cum viëtus dimenso ad sarcinarum custodiâ relictô ipsi ad proximum vicum paucarum ædium contendebunt, ut lautiores quasdam escas sibi conquererent; totum siquidem jam quatriuum fluxerat, ex quo propter maris fastidium nullô eduliō recreati defectis viribüs non modicè uterque languebat.

Rursus Con-  
stantinopolim  
prope reiecti.

Anchoras fi-  
guntur.

Navim no-  
strie linquane  
viëtus que-  
rendi causâ,

Ad navim re-  
deunt ab ea-  
dem exclusi.

Ast contra spem eorum accedit; viculus enim ille erat omnium viëtualium egentissimus, ubi præter aquam nihil cibariorum obtinere valebant; unde, quòd dies ad vesperam præcipiti cursu declinaret, statuerunt esuriente stomacho navim repeteret, ac de patatis ad hoc iter eduliis latrante famem placare. Sed & iste quoque vanus fuit eorum conatus; vento enim violentissimis fluctibus litus incutsante gradum figere cogebantur, quòd absque manifesto vitæ discrimine per tumentes fluctus linter ad navim pervenire non possent: unde necessitas eis incubuit totam etiam illam noctem absque cibo, omnique alio solatio, præterquam quod a DEO ex ærumnarum tolerantia hauserant, sub dio in litore transigendi.

Illu-

Illucescente porrò aurora, cùm ventus insanire non desisteret, & novas identidem fluctuum moles ex imo ebulliret, perspicuè demum agnoverunt, sibi aut in litore esse fame pereundum, aut, Constantinopolim redeundum. Dum itaque de sua vita consultant, ecce tibi! ventus idem, qui herì lintrem repulerat, hodie navim ad eundem portum, in quo nostri constiebant, detulit, quod ex Divini Numinis beneficio nostri factum interpretabantur.

VII. Navigium itaque facile ingressi solutis sarcinis avidè panem depromperunt necessitati propè extremæ satisfacturi. Totò autem triduō adhuc in navigio & illi loco affixi substiterunt non sinè alia quoque ingenti afflictione ac periculo, quibus causam dederat juvenis ille sèpè nominatus; is enim tum in absentia P. Redemptoris, tum etiam postea in ejusdem præsentia a Turcis multis quæstionibüs per otium callidè tentatus, interrogatusque fuit: quis esset? an liber? an servus? Ille autem in responsis suis sibi minimè cohærebat, ac imprudenter sibi sèpius contradicens affirmabat, quòd paulò ante negaverat, ut ex tam mendacibus, & sibi invicem adversantibus respondis facilè conjici posset, ipsum esse reverà profugum mancipium. Id nostris ingentem creavit solicitudinem & anxietatem, quoniam pueri fidelitas nondum sat is explorata fuerat; nam si ille Mahometricam sectam sincerè non abjurasset, aut res, ut erat, innotuisset, non tantum repetundarum nostri postulati, verùm etiam plagi accusati fuissent, ex quibus gravissimum incommodum Redemptioni, atque etiam ipsis religiosis imminebat; est enim Constantinopoli in causa fugitivorum mancipiorum constitutus Jūdex, ad quem omnia signa profugi deferuntur, & accuratissimè annotantur: satis est autem levis suspicio, ut quis ad illud tribunal pertrahatur, ubi omnia accurato examine rigidissimè discutiuntur. Quod si in hoc casu evenisset, actum de hoc puerò & nostris fuisset, ut potè qui in ultraque manu heri sui, a quo ad nos profugerat, inlustrum stigma pro sui mancipatù signo gerebat: ut proinde nostri ambigere non possent, si res ista palam fieret, se gravissimas poenas daturos, neque ullum repertum iri, qui hujusmodi causæ patrocinari posset, aut vellet. At Turcæ vel obcæcati, aut aliis intenti curis ulteriùs non inquirebant, quare nulla inde nostris molestia nata fuit.

VIII Die nona & vigesima Augusti Medicus Gallus cum dīcto Patre Societatis JESU navim revisit ex favorabilis auræ indicio discessum præstolatus. Neque mora: sub ipso rursus noctis medio prosperò vento in puppim aspirante navigium in altum evolavit, parilique celeritate per sequentem diem Pontum persulcavit. At sequentibüs duobüs diebüs iterum exorta tempestate miserè denuò jactabatur: pugnantibüs inter se ventis lùdibrium penè facta navis sus déque proicitur, nec multum aberat, quin in pristinum discrimen recideret; est enim hoc mare frequentibüs infame periculis, raróque per totum annum sinè horridis tempestatibus transfretatur; unde etiam apud Turcas *Cara su* sive aquæ nigrae nomine denotatur. Ad Kalendas Septembres, et si quidem retrò

1706.  
Navis ad por-  
tum a ventis  
protruditur.

Nostris vires  
pane refici-  
unt.

Magni nunc  
metu's causa  
puer.

Judex manci-  
piorum Con-  
stantinopolis.

Varia ruesus  
navigatio.

*Cara su* mare  
nigrum sive  
nigræ aquæ.

1760. non pulsi fuissent, a recto tamen tramite navis aberraverat, & ad latus dexterum ventorum impetu delata in Orientem raptabatur, donec circa primam a meridie horam litus raderet juxta Anatoliam ad oras Asiaticas, ubi, ne longioribus diverticulis irretinentur, Kafka notum regionis illius portum subierunt, ibidemque omniam ventorum levitatem totò octiduo otiosi substiterunt. Tandem octavā Septembris, quæ dies est Nativitati Maris Stellæ, Beatissimæ Virginis DEIPARÆ sacra, cùm pridie aliquot horis pluisset, prosperum ventum nocti illicò pansis velis in altum contenderunt, & secundissimo cursu proiecti octoginta circiter millaria emensi fuerunt. Altera verò die propitio flatu destituti millaria vix decem superarunt, novaque subinde tempestate impediti tantam ventorum rabiem sustinuerunt, ut fracto malo navis vela in mare præcipitarentur, quo tempore, nisi nautarum celeritas intercessisset, omnes certissimum fecissent naufragium: sed & ipsi quoque Religiosi nostri, qui ad redimenda Janizarorum ludibria in fundo navis latitabant, aliud haud minus detexerunt periculum; nam ibidem ex inobservato forsan scopulo incussum foramen navi magnam jam vim aquarum infuderat, quod nisi nostri manifestasset, navis hoc intellexeret, malo periret. Singulari DEI providentiâ accidit, ut nostri, Janizarorum convitiis exagitati, ad illum locum sese reciperent; alioquin enim ignotum, nemini observatum periculum brevi universos in perniciem traxisset.

IX. Mensis ejusdem decimâ navis cursum suum continuabat, quô tamen non in Crimeam, sed præcipiti ventorum impetu ad litus oppositum per centum fere ac quinquaginta milliarium ambages abripiebatur. Altera die sub eadem aëris inclemencia proiecti duodecim Vezirii naves mercibus onustas, & ex Crimea reduces, nostri obvias habuerunt, dataque invicem salutationis tessera paucis de continentis & terræ firmæ distantia, nec non procellarum conscientia significatis pertransierunt. Paulò post eò perventum est, ubi altiores montes e Crimea prominentes se oculis intuentium offerebant, & navigantium animos spe celeris appulsus recreabant, quod locus ille non totis viginti milliaribus a desiderato portu abesset, quem illi sibi sequenti mane subituri videbantur, si aura præsens diutius aspiraret. Tenui itaque astrorum luce adjuti cursum suum alacriter promoverunt. Et ecce, dictu mirabile! intempera nocte, cùm navis prægnantibus carbassis per cœrulea æquoris terga volaret, sub tranquillæ noctis silentio vox audita fuit (an dolô cujusdam, an ab infesto genio prolatâ, nescitur) navarchum his fere verbis inclamans: *Ne fidas navarche! litus enim vicinum es, & ventus secundissimus.* Hac voce percussus nauclerus metuere coepit, ne in caligine ad scopulos littoris impingens in ipso portu naufragium pateretur. Continuò igitur vela contraxit, navimque anchorâ firmari jussit. Verum illucescente aurora sequentis diei, dum singuli avidos oculos ad propinquum, ut putabant, litus convertunt, nec umbram quidem illius viderunt, sed nec amplius ventum ad nutum habuerunt,

unde

*Ostiduō si-  
stunt ad Kaf-  
ka.*

*Iterum pro-  
vehuntur.*

*Ex fracto ma-  
lo periculum.*

*Alterum ma-  
jus ex navis  
foramine.*

*Vezirii naves  
obvias ha-  
bent.*

*Proprius se  
putant acce-  
dere, dum lon-  
gius a portu  
recedunt.*

*Abignota vo-  
ce se deceptos  
agnoscunt.*

unde demum perspicuè agnoverunt, se ab hesterna voce deceptos fuisse. Inopinatus hic eventus plerisque indignationem movit, quô factum fuit, ut a vicino litore dejecti tota adhuc illa & sequenti die fluctus inter ac procellas errare debuerint. 1706.

X. Tandem decimâ quartâ Septembbris in festo Exaltationis S. Crucis, quæ universale sanctæ Redemptionis nostræ signum est, post tot jactationes, errores, & irati maris pericula in Crimea portum tenuere propè Kosloviam, quæ civitas est populô frequens. E navi proinde cum sarcinis egressi ad portas civitatis ob noti Medici auctoritatem nullam a Publicanis telonii causâ molestiam pertulerunt ab omni exactione immunes. Insuper loci Praefectus Germanicæ, Hungaricæ, atque Gallicæ gnarus linguarum, utpotè qui olim in servitio Comitis Leslæi Cæsarei Tribuni, cuius ipse quondam mancipium fuit, multas peragraverat Europæ regiones, ad nostrorum hospitium duos apparitores constituit, unum Turcam, Maurum alterum, ne illis molestiæ quidpiam a Tartaris inferretur. Medicus e vestigio ad Regiam, Baceſſarium, properavit Redemptionis negotium, prout in mandatis habebat, & stipulatus fuerat, Chano Tartarorum commendaturus. Ne verò nautis Turcicis de puro suspicio recrudesceret, præmissus est cum Medico sub specie pedissequi, ut ità sub ejus patrocinio tutius lateret.

## C A P U T VI.

### *Varius in Crimea Redemptionis successus.*

I. IN magnam spem erecti præteritarum facile obliviscebantur calamitatum, dum in horas singulas faustum a medico nuncium expectant. Sed nec iste diu tardavit; decima septima namque die mensis Septembbris post meridiem ad fores hospitii eorum stetit tabellarius cum Medici litteris, quibûs significabat, Chanum non modò licentiam indulſſe curiam adeundi, verùm etiam pro majore viæ commoditate duos currus assignâſſe, qui sub custodia equestris cujusdam militis eos ad Regiam proveheret. Horum curruum alterum nostri concenderunt cum dicto P. Societatis IESU: alter verò munera ferebat Chano offerenda. Citato itaque itinere progressi sequenti statim die sub vesperam Baceſſarium pervenerunt rectâ ad Medici hospitium devecti, quod erat in Armenorum platea, ubi rursus omnes itineris socii læti convenerunt, seseque invicem jucundè consalutârunt. Nocte ibidem peracta, Medicus cùm ædes suas pro nostris & captivis eliberandis angustas nimium intueretur, ad fanum Armenorum amplam ejusdem sectæ Flaminum habitationem pro nostris impetravit, quò protinus transmigraverunt.

II. Interea Medicus Legati Gallici litteras Chano cum delatis muneribus consignavit. Nostri pariter, ut Barbari Regis animum donis delinirent, & promovendo Redemptionis negotio conciliarent, eidem parvum rotatile horologium, quædam sphærica vitra ad munienda contra ventum lumina, aliquos præterea vitreos

Ggggg

cya-

Portum in  
Crimea te-  
nent.

In telonio  
liberi,

Loci Prae-  
fectus lingaru-  
gnarus

Custodes con-  
stituit,

Medicus in  
Regiam pro-  
perat.

Per nuncium  
ad Regiam vo-  
cantur duo-  
bus missis cur-  
ribus.

In Regia rup-  
sus conveni-  
unt.

Hospitium  
impetratur.

Oblata mune-  
ria.

1706. cyathos, florésque nonnullos, ad naturæ imitationem ab artifice manu effictos, obtulerunt, demissè supplicantes, ut Redemptionem protegere, & facultatem redimendi captivos Christianos liberaliter impertiri dignaretur. Ille verò utrumque prolixè spopondit, hac tamen adjecta conditione sive cautela, ne id in publicis nundinis facerent, &, si quis de eorum negotio sciscitaretur, responderent, se pro sex tantum, vel octo redimendis captivis venisse. Verùm quia hæc facultas non erat litteris expressa, exiguum fidem apud infideles obtinebat. Quamobrem ut Pater se magis adversus Tartarorum contradictiones præmuniret, ope Medici amplissimas litteras impetravit, quibus ei potestas facta fuit per universam Crimeam liberè comandeendi, negotiandi, & mancipia quæcunque coëmendi, quin alicui fas esset eum molestare, aut quoquò modò impedire. Nihil tamen opus erat regionem illam peragrare; ab eo namque tempore, quò nostri portum attigerant, fama subito totam terram pervasisit, eos ad Christianos captivos liberandos advenisse: unde quotidie complures ex omni parte captivi accurrebant suos visum Redemptores, rogatúmque, ut a dura hac diurnaque servitute liberarentur.

*Petitio & benigna concessio sed restricta.*

*Concurrunt captivi redimendi.*

*Magnum lycrum pro captivis indicatur.*

*Pejus finit, qui male insipit.*

*Adversus nostros configiunt calumnias.*

*Captivum emunt a Vezirio.*

III. Multi reperiebantur captivi, omnes redimi cupiebant: at pauci fuere, quos Tartari vendere volebant, partim quia illis ad domesticos labores egebant, partim etiam ut altius extorquerent pretium: hinc omni fronte abjecta non verebantur pro uno homine septingentos, imò & octingentos Imperiales postulare. Indè contigit, ut per integrum octiduum omnes emptiōnis tractatus irriti evaderent; Tartari enim obfirmatò animò ne assēm quidem ex indicato pretio remittere volebant, nostri autem tam larga pecuniæ profusione Redemptionis initia corrumpere nolebant, sed oblatò rationabili lytrò æstuantem Tartarorum avaritiam retundebant, istud ab initio carentes, ne si pri-  
mum auctò quôdam & immoderatò pretiō comparassent, cæteros omnes æquali ære redimere, aut re infecta abire cogerentur, quod haud dubiè ità futurum erat, cum apud eam gentem pronum sit attollere rerum pretia, minuere verò pro eorum avaritia prorsus impossibile. Errorum catena vitanda est in principio, pejus namque finit, qui erravit in principio. Hoc in conflictu diu multūmque pendebant, nec ulla pars cedebat alteri, singulis in suo proposito obstinatè persistentibūs. Cæterū Tartari, ut P. Redemptorem ad alias cogitationes suscipiendas vi aut fraude inducerent, iniquissimam cum atroci calumnia confinxerunt imposturam, spargebant nimirū, sat luculenter apparere, eum ad liberandos captivos neutquam venisse, sed magis ad regionem explorandam; cum ex tot mancipiis, quæ ei redimenda obtulissent, nullum hactenus emisset. Res jam eò spectabat, ut nostri pro exploratoribus in carceres traherentur. Ad quintam & vigesimam Septembribus controversia adhuc inter jurgia stetit. Tandem Regionis Gubernator, quem Vezirium vocant, ut de re certiorem se facere, & contra nostros jure procedere posset, nam & is quoque facul-

1706.

facultatibus nostris avidè inhiabat, obtulit mancipium pro centum quinquaginta imperialibus. Pater aliquam in lytro astutiam subodoratus, justum tamen & rationabile pretium existimans, finè cunctatione mancipium exsolvit, ut sic omnibus palam faceret, se non alia de causa venisse, quam ad captivos liberandos, æquò tamen pretiō, atque unum saltem redemptum ostendere posset, quem mendacibus eorum dicteriis opponeret; nam Tartari ubique contrarium diffundere nitebantur. Similī ferè modō in hac eadem regione olim conflictatus est P. Maurus a Conceptione, ut multò superiū insinuavimus; is enim ob hujusmodi nequiter evulgatas calumnias unā cum socio diu in carcere genuit, ex Vezitii mandato vel odio pœnas luens criminis nunquam commissi, unde captiva tunc Redemptio multū sufflamminabatur. Quod autem primum captivum Pater nunc tanti emerit, indē factum fuit, quia liquidò jam compererat, paucos infra centum quinquaginta imperiales ab se redemptum iri; etenim cùm prius pro alio quodam mancípio centum quadraginta imperiales obtulisset, subito repertus est alter Tartarus, qui sibi eundem captivum centum sexaginta tribūs imperialibūs coemptum abduxit. Item prō alio captivo ad duos fratres pertinente Pater cum uno eorum fratribus in centum quadraginta octo imperialibus convenerat; id cùm factum fuisset abīque alterius notitia, hic jam stipulatæ conventioni assentiri noluit, sed neque unus, nec alter deinceps ampliū comparuit.

IV. Quod verò illo tempore mancipia cariori pretiō vendarentur, multæ cause suppetebant; Tartari enim servorum suorum operā agros colunt, pecora curant, rem familiarem & opes suas augent: cùm verò modernō armistitiō illis apud exteros sublata sit prædandi occasio, ac præterea non pauci captivi morti succumbant, multi quoque annis præcedentibūs jam redempti fuerint, inertissimis illis, & laborum fugitantibus hominibus difficilis esset vita, si destituerentur mancipiis: hinc ea ilibenter vendebant, & fermè inviti, importunis nimirū mancipiorum precibūs aut minis adacti. Erat captivorum unus, qui primò herum, dein se ipsum jugulare constituerat, nisi Patri venderetur. Alii plerique jurejurando (cujus religione Tartari maximè terrentur) comminati sunt, nisi amodo libertatem consequantur, se quoquō maleficiō jugum excussuros, nec ampliū heris suis deinceps obtemperaturos: ut proinde res inter Tartaros & eorum mancipia propè ad seditionem spectaret. Qua de causa iterum conquesti sunt Tartari, servos suos ab eo tempore, quō nostri regionem ingressi sunt, libertatis imaginatione perverti, & qui obsequentes anteā fuerant, nunc refractarios evadere, insolescere, & nullius frogis homines effici, herisque suis planè formidabiles reddi. Profectò non minimum molestiæ pertulissent nostri, nisi Chani protectio feris hominibus frenum injecisset.

V. Cæterū licet Tartari turbulentis suis insectationibūs latè perstrepent, fracta tamen, ut ajunt, prima glacie Redemptionis negotiatio satis feliciter processit; paucos enim intra dies, quamvis

*Similis casus  
P. Mauro accidit. Sup.  
lib. 2, cap. 16,  
n. 3.*

*Leviore pretio  
captivos redi-  
mire haud pos-  
tuit.*

*Cause cū  
tunc carius  
vendebantur  
captivi.*

*Captivorum  
in heros mi-  
næ.*

*Juramentis  
Tartari tec-  
rentur.*

*20. captivi in  
Crimea jata  
redempti.*

1706. non sînè perpetuis altercationibus & clamoribus ultra viginti tolerabili pretiô redempti Christiani numerabantur. Hoc successu latus P. Redemptor de maturando reditu Constantinopolim cogitavit, ne longiore comperendinatione præceps Autumni tempus navigationis opportunitatem interciperet. Commisit itaque fratri socio, ut ipse in hac Provincia Redemptionem ad coronam perduceret, eâque feliciter confectâ quamprimum in Valachiam proficeretur: ibi verò tantisper expectaret, donec ipse cum reliquis Constantinopoli redemptis per Danubii ostia ad eum esset reversus, quatenus deinde junctis agminibûs commodius in patriam migrarent. Ità debere fieri, quomodo cunque fors ferret: rogandos autem esse pios Superos, ne quid adversum emergat.

Pater Constantinopolim redire cogitat.

Conventionis prioris pacta renovantur.

## C A P U T VII.

### *P. Redemptor e Crimea Constantinopolim revertitur, & ibidem Redemptionem absolvit.*

Pater ad iter se disponit.

Redemptum captivum pro socio sibi adscicit.

Salvi conductus Littere.

Discedit Ba-luklavam.

Malè excipi-tur.

I. **N** principio mensis Octobris P. Redemptor fama vulgante didicit, Baluklavæ (civitas est sex passuum millibus Bacs-fariô distans) naves quasdam Byzantium soluturas idoneum in portu ventum opperiri, quam ille occasionem sibi minimè negligendam ratus exemplò sè ad iter accinxit. Postquam igitur Epistles a Sua Cæsarea Majestate JOSEPHO I. Romanorum Imperatore ad Principes Moldaviæ ac Valachiæ scriptas fratri socio preferendas tradidisset, eidem non sînè lacrymis, ex cordis tenuitudine profusis, valedixit, ac deinde hominem quendam natione Moravum, patriâ Brunensem, Scribam olim sub Legione Tribuni Comitis Gondolæ, pridie redemptum, in Societatem itineris adscivit, qui præter vernaculam Teutonicam, Latinam etiam & Tartaricam linguam callebat, adeoque Interpretis muneri gerendo aptissimus censebatur. Cum verò Regionem illam nemini egredi liceat, qui salvi Conductus litteris munitus non est, iterum ope Medici a Chano Tartarorum ejusdémque Vezirio ad Emin si-ve Præfectum Teloniorum Baluklavæ tales impetratae sunt, in quibus Patri potestas fiebat cum uno famulo liberè in Thraciam transmittendi: Præfecto autem Teloniorum mandabatur, ut quādiu illi essent Baluklavæ substituti, eisdem de commode hospitio provideret.

II. Die quinta Octobris iter auspiciatus P. Redemptor Baluklavam perrexit, quò cùm pervenisset, famulum ad Præfectum Teloniorum cum Litteris fidenter misit: is verò Litteris conspeditis, ut vidit, de hospitio agi, vehementer excanduit, negavitque se Jauris sive infidelibus (hoc enim convitio Mahometani Christianos omnes afficiunt) hospitium quæsitorum: irent ipsi, ac viderent, sicubi aliquod reperirent. Post crudam hanc repulsam Pater omnî diligentia aliquod hospitium indagavit, sed ubique rejectus iterum ad Emin famulum misit, rogans, ut cùm nihil

nihil gratis peteret, pro oblato pretio eisdem non gravaretur ali-  
quod hospitiolum assignare, ne per eam noctem sub dio permane-  
re cogerentur aëris injuriis expositi. Emin jam non irâ sed furore  
percitus multò nunc ferociùs famulum ab se repulit, eumque in ma-  
gnam & malam crucem abire jussit, verbera minatus, si denuò  
redire præsumeret: addens, litteras, quas attulerat, quod sigillô  
carerent, esse prorsus invalidas, illósque nunquam ab se dimis-  
sum iri, nisi legitimas litteras producerent. His auditis Pater  
confernatus est vehementer, & quò se verteret, ignorabat, jam  
minus de hospitio quam de legitimis Salvi Conductus litteris soli-  
citus; noverat enim, se sub barbari hominis & exacerbati pote-  
state degere, cuius abs nutu, quidquid tentaret, actum ageret.  
Metus insuper erat, nec imprudens, ne protracta mora, donec alias  
obtineret litteras, transfretandi occasionem amitteret, atque adeò  
in portu suorum consiliorum naufragium faceret. Moctus ita-  
que locum diversorii circumspicere cœpit, quo nusquam occur-  
rente, stationem obsoniis dividendis destinatam, asseribúsque  
compactam in foro publico intravit, miseram noctem illic trans-  
acturus. Sed vide mihi amabilem Numinis providentiam, cuius  
dispositione Pater opinione citius utriusque mali remedium mi-  
rabiliter invenit; etenim homo quidam, gente Armenus, quo-  
rum ubique non pauci sub Tartarorum vivunt dominatu, misera-  
tione motus Patri liberaliter hospitium obtulit, quod cum Pa-  
ter non sine grati animi significatione accepisset, aptissimam simul  
occasionem fortuitò adeptus est, ea, quæ sibi hic loci acciderant  
Baceffarium ad fratrem socium perscribendi, eidēque signifi-  
candi, ut si litteræ Salvi Conductus legitimæ non forent, daret  
operam, quatenus confessim alias impetraret. Id autem sic ac-  
cidit: Ante dies paucos quidam redemptus fuerat, qui monetam  
regionis, Veslick ibi nuncupatam, & valore suo viginti fermè im-  
periales nostrates æquantem in lytri sui partem contulit: hæc  
moneta, ut illi provinciæ est peculiaris, ita foris nullum obti-  
net valorem. Frater socius cum observasset, Patrem inadverten-  
ter hanc monetam secum tulisse, illico ex redemptis unum expe-  
dit equestrem nuncium, ut Pater monetam illam, nihil extra  
eam regionem ipsi profuturam, per eundem remitteret in Cri-  
mea expendendam. Ergo dum Pater circa noctis medium in-  
ter varias curas anxius quiescit, ecce tibi! nuncius, velut an-  
gelus de cœlo missus adest, monetam foris inutilem nomine fra-  
tris repetens. Pater conspectò nunciō magnoperè gavisus eidem  
monetam dedit, simûlque ad fratrem socium & Medicum litteras  
exaravit, quibüs eos de statu, in quo nunc versabatur, fusiūs  
edocuit, flagitans, ut quantò possent celerius, alias bonas litte-  
ras & sigillô munitas sibi transmitterent. His litteris instructus  
nuncius, quod esset in mora periculum, jussus est eadem adhuc  
nocte Baceffarium repetere.

III. Cum igitur Pater curis atque terrore jam absolutus se-  
curius quiescere vellet, multo manè satelles vehementi cum fragore  
ad sedium fores pulsat, reseratisque ædibüs ingressus jubet Patrem

1706.  
Hospitium  
non iuvavit  
& cum furiose  
iterum rejici-  
tur.

Pater in an-  
gustiis est.

Ab Armeno  
recipitur ho-  
spes.

Casu liberatur  
ab angustiis.

Veslick moneta  
Crimeæ.

Ad judicium  
citatur.

Hhhh cum

1706. cum famulo suo strato exilire, sesequi protinus ad Præfectum subsequi. Parent ambo, nec cunctabantur ire, quò vocabantur. Ad domum teloniorum perducti, ubi complures ex primoribus Turcarum, Tartarorumque congregati convenerant, quos in partes suas Præfectus jam attraxerat, omnes vultu severitatem professi non aliter ac si Areopagum aliquem novum repræsentare decrevissent, quibus Emin sive idem Præfectus Teloniorum pro tribunali præsidebat, Actor ipse & Judex futurus. Vix ad dicendam causam evocatus Pater comparuerat, dum barbaro clamore sublato Teloniorum Præfectus vociferari coepit, significans, ut litteras promeret, simùque veritatem fateretur, unde, vel a quo illas huc detulisset? Pater exhibit litteras, & easdem Baceſſarii a Chani Medico se accepisse afferit, ac demum subjunxit, an litteræ defectum habeant, sibi, ut extero, non constare, sed jam neque curare, quòd hac nocte nuncium expedivisset, qui ad curiam omnia referret, quæ sibi in hoc loco evenerant. Hoc auditō conſternati fuerunt omnes affidentes: Emin verò sic obmutuit, ut nec verbum ultra posset exponere. Continuò reliqui capita inter se conferunt, ac tandem unanimi voce judicārunt, litteris nullum inesse defectum aut dolum, eásque pro bonis & legitimis habendas esse. Præfectus Teloniorum ad mentitam sibi iniquitatem diu velut statua hæſit attonitus, & quām graviter impegiſſet, secum reputabat, irritisque nunc votis optabat ab ausu adeò temerario abstinuisse. Animō tandem a perturbatione collectō in aliud virum jam mutatus Patrem affatus dixit, eum liberè, quocunque vellet, abire posse, quin alias litteras opperiretur. Et Pater in Judices excusso pedum pulvere re&oacute; tramite ad portum se contulit navim quæſiturus, quæ primum faventis auræ flatum ad vela ventis pandenda præstolari dicebatur. Altera die rediuit nuncius a Patre heri expeditus stipatorem Tartarum secum adducens. Hic Baluklavam delatus citato equi cursu ad Emin perrexit, & imperiosius interrogavit, quisnam frontem adeò perfricuſſet, ut heri vel nudiustertiū delatas litteras falsi insimulare auderet? Sed pavidus Emin capiti suo metuens ferocientem hominem blandissimis verbis delinivit, afferens litteras ab omnibus ceu bonas & legitimas fuisse comprobatas, atque neminem esse, qui Patri negotium faceſſeret, ipsum abire posse ullo absque impedimento & incommodo. Ast cùm Tartarus hōc verborum blan- dimentō palpum non statim sibi obtrudi pateretur, Emin se magis humiliavit, multisque excusationibūs culpam a ſe amoliri co- natus tandem placavit iratum.

IV. Cæterū Pater ad iter pridem paratusabiturientis navis discessum avidissimè expectabat, sed cùm ille de die in diem comperendinaretur, diurnæ moræ pertæſus, ubi tertiā & decimā mensis Octobris intellexiſſet, navim hanc ne post multos quidem dies e portu soluturam, captō in arena consiliō Koslovium, aliam in Crimea civitatem & portum, adire decrevit, ne hac cunctatione occasio ſibi elaberetur Christianos captivos e triremibus Byzantium apto tempore redimendi. Qyamobrēm præcipitato itinere Kos-

Respondetur.

Terrentur ad  
responſum.Approbantur  
omnia.Tartarus de  
injuria Patri  
facta expoſtu-  
lat.Alium por-  
tum quaerit  
Koslovii.

Koslovium, quatuordecim dntaxat milliaribū Baluklavā sejunctum, contendit, eoque delatus neglecta hospitii investigatione recto tramite ad portum properavit, repertaque holcade, quae primo idoneo afflante vento Constantinopolim erat velificatura, eam, postquam cum navarcho de nculo convenisset, hospitii loco protinus concendit, ibidemque assidue permanxit, donec die decima septima ejusdem mensis illa navis sub noctis decursu prosperum ventum adepta portui valedixisset, ventis adeo secundis usque, ut triduana velificatione scopum propositi itineris attigerit, nautis omnibū impendiō letantibū, simul & admirantibū, quod nunquam simili celeritate se mare illud pernavigasse meminissent.

1706.

Constanti-  
nopolim na-  
vigat intra tri-  
deum.

V. Vigesima die mensis Octobris, tertia post meridiem horā, Pater Constantinopolim tenuit. Urbem ingressus magnō exarsit desiderio redemptos suos videndi, ac de ceteris amicorum operā interea liberatis prosperi quidpiam audiendi. Verū non sinè inōrō intellexit, de pecuniis, quas ideo deposuerat, modicum fuisse expensum, tribūs dntaxat mulieribū toto absentiæ suæ tempore in libertatem assertis. A triremibus autem, quod maximē concupierat, nemo prorsus fuerat eliberatus. Mulieres quoque, quas Adrianopoli P. Caschodi operā interim adventuras speraverat, nondum hactenus comparuerunt. Inopinata hac rerum facie commotus Pater agnovit, verum esse vulgatum illud proverbium: Quod quis non per semet ipsum facit, minus faciet per alium. Ut igitur fratrem socium, velut invicem in Crimea pēpigerant, citius conveniret, statuit redemptos, quos secum habebat, per Pontum Euxinum in Moldaviam transferre, atque in Tartaria Budziakensi, Moldavis confini, quam fratrem socium in reditu e Crimea transliturum noverat, residuam pecuniam in redimendis captivis expendere; oleum enim operāmque sibi lufurus videbatur, si Constantinopoli diutiūs desideret, ubi vix unum mancipium venale reperiebatur; illi verò, qui in triremibus attinebantur, ne excessivō quidem pretiō oblatō poterant redimi. Hæc ille dum secum mente revolvit, post pauculos dies Byzantium pervenerunt aliquot ex illis mulieribus, quas P. Caschodus Adrianopoli se transmissurum sponderat. Nunciabant illæ, ceteras paulò post secuturas, quamvis ob foedatas continuis imbrībūs vias, aliisque impedimenta suborta ante finem mensis Novembbris Constantinopolim non attigerint, quo tempore Pontus Euxinus ob atroces sævientis coeli procellas navigiorum impatiens evaferat. Id denuò Patrem summè reddidit perplexum; videbat enim Budziakensem Tartariam per mare penitus interceptam, sibique nunc necessitatē impositam esse proficationem suam terrefri itinere in Austriam instituendi: hoc præterquam quod sumptus in immensum augebat, ita quoque facultatem omnem fratrem socium in Valachia conveniendi, sicut asseveranter promiserat, penitus adimebat, adeo incertæ sunt mortaliū cogitationes: conatus est tamen eidem rationes eversi consilii sui litteris exponere, quod & fecit per Principis Valachia Ministrum: jussitque, ut, cùm ob suborta impedimenta date

Constanti-  
nopolis fuit in-  
terim fermè  
nihil effectum

In Molda-  
viam & Bessar-  
abiam tran-  
fire cupit.

Mare innavi-  
gabile.

Multæ diffi-  
cultates aliae.

1706.  
Per litteras  
aunciatuſ ſra-  
tri ſocio, ut  
viam in Croa-  
tiam & Sty-  
riam profe-  
quatur.

Metus alius.

fidei ſtare non poſſet, ipſe interea ne tempus caſſa expectatione inutiliter tereret, viam Croatiam versus & Styriam proſequere tur. Affligebat nihilominus Patrem, quod hucusque de fratre ſocio nihil reſcire potuifſet, atque adeo ignoraret, utrum jam in Valachiam perveniſſet; Redemptionem ſiquidem ab eo in Crimea pridem jam ad finem perductam fuſſe nullus dubitavit. Quare cum nihil litterarum ab eo acciperet, vehementer metuebat, ne illi ſinistrum aliquid accidiſſet; noverat enim Boryſthenis ac colas, per quos tranſeundum erat, gentem eſſe aequè prädatri- cem, & ex otiosorum erronum colluvie conflatam, cui ſolemne eſt facto agmine regiones illas latrociniis infestare. Ut proinde, ſi in manus eorum fortuitò incidiſſet, nihil aliud ſperari pouerit, quām eum cum tota redemptorum caterva aut captum, aut occiſum fuſſe.

Angores Pa-  
tris circa pro-  
fectionem.

VI. Præterea Cæſareus Legatus ad redditum ſe jam accinxerat: Patri verò propter plurima impedimenta integrum non erat cum ipſo, vel quod magis optaverat, ante ipsum Byzantiō abire, ut potè cujuſ protectione quorundam captivorum causā, quos Turcæ ad quæſtionem vocare, plurimūque moleſtare potuiffent, in ſuo diſceſſu maximè indigebat. Quamobrèm cum intelligeret, fieri non poſſe, ut ipſe ante Cæſareum Oratorem, aut faltem cum ipſo in viam ſe daret, deſiderabat ante diſceſſum ejusdem pro ſe, ſuīſque redemptis ab Ottomanica Porta liberi transitū litteras impetrare. Sed & hic quoque ſolvendus occurrebat Gordius difficultatum nodus; hujusmodi enim litteræ non niſi pro certo & determinato numero, idque expreſſis cunctorum nominibūs, ac rebūs omnibūs accuratiſſime examinatis, viſis etiam atque ſepiuſ inspeſtis ſingulorū libertatis ſyngraphis concedi ſolent; aſt quoniam P. Re- demptor decreverat aliquos adhuc e triremibus liberare, eti magnō pretiō ſolvendi forent, minimè conſultum ei videbatur ſalvi conductū litteras, licet ultro oblatas, ſub illis conditionibus admittere; hōc namque pactō illos in patriam reducere nequi- viſſet, quos post expeditas litteras redempturus erat: id verò in gravissimum Redemptionis präjudicium ceſſurum, Patrique apud exteram & potentatū ſui tenacem gentem innumerabilia ac inextricabilia jurgia parituruſ nemo non cæcus videbat.

Tres captivi  
e triremibus  
liberantur.

Medico Gal-  
lo Conſtantin-  
opolis occur-  
rit.

Bonum ex eo  
auncium au-  
dit.

VII. Verumtamen hanc tristem & calamitosam rerum faciem excepere ſubinde nonnullæ, ut Divino munere ferè uuuenit, qua Patris animum non mediocriter exhilararunt; ſub idem namque tempus ſucceluſ pridem optato tres captivos in laudem Sanctissimæ TRINITATIS e triremibus, omnium miserrima Christianorum ſervitate, liberavit. Alio quoque nec vulgari ſolatiō delibutus fuit, quando Medicum illum Gallum, cujuſ mentionem crebriū ſam fecimus, präter ſpem & opinionem e Crimea appulſum Constantinopolis vidiſ, quō etiam narrante didicit, fratrem ſocium die decima ſexta mensis Octobris absolute Redemptione Baceſſa- riō omni ſecuritate proviſum diſceſſiſſe, utpotè ſalvi conductū litteris munitum, ac Tartaro Centurione viarum peritiſſimo pro majore itineris ſecuritate ſtipatum, eundemque Centurionem, poſt-

postquam fratrem unam cum redemptis hominibus ad Prut Moldaviæ fluvium deduxisset in columem, haud ita pridem Bacelarium reversum fuisse. Hoc nunciō auditō cœpit afflictus Pater a tot curis respirare, quarum irrequietis morsibūs hactenus diu multūmque fodicatus fuerat. Resumptō deinde animō, quatenus & ipse maturaret discessum, non segniter egit, ut ope Internuncii a Porta Ottomanica salvi conductūs litteras obtineret, quibus tamen nullus certus captivorum numerus insereretur, quod adhuc ante suum abitum aliquos captivos eliberare constituisset. Omnia ad votum successerunt, impetravitque Pater desideratas litteras nullis clausulis coercitas ad initium mensis Decembris, quae e Turco idiomate in Latinam linguam versę sequentem sensum efficiunt.

Salvum Con-  
ductum obser-  
nat.

### Locus Signi Imperialis.

Præstantissimis Judicis, Præfulumque, scientiarum ac facundia fodinis, locorum a Mea Fulgida Porta usque ad fines Transilvanie in via occurrentium Judicibus, quorum præstantiae augeantur; item inter paris conditionis viros præstantissimis Aule Præfectis, Janizarorum Ducibus, Provinciarum Primoribus & Officialibus, quorum semper bonos accrescat. Cum hoc Signum Imperiale ad vos pervenerit, notum sit, quod exemplar gentis in Messiam credentis ex parte Cæsaris Germaniæ hic subsistens Cavalierus Christophorus Ignatius a Guarient & Rall ad Meam Fulgidam Portam supplicem libellum miserit, rogaveritque, ut, cum redemptos, & juxta utrinque firmatam aliam Pacem, & utriusque parti traditum Augustum Capitulationum Diploma se manumissos esse litteris testimonia libus instructos captivos Germanos ad patrios lares remittere cogitet, Ego gratiissimè mandarem, ut quando ad cuiuscunque Vestrum Dominum, aut Jurisdictionem pervenirent, vos eos in aptis, tutisque hospitiis divertiri, necessaria victualia tam comestibilia, quam potabilia ipsis juxta constitutionem pretii currentis pro pecunia porrigi, & nullā angustiā, rerumque penuriā premi, tum in itinere, sive illis ipsis, sive eorum rebus, & jumentis nullum damnum, aut molestiam fieri, aut eos transitu prohiberi sinatis, sed potius salvos & incolumes unus ad alterum mitti curetis. Quare hoc Meum Excelsum Mandatum emanavit, quo ad vos delatō jubeo: ut quando præfati ad cuiuscunque Vestrum Jurisdictionem, aut Diocesim pervenerint, vos ipsis currens pretium solventibus non solum apta, tutaque hospitia, sed etiam victualia tam potabilia, quam comestibilia præberi, ipsos nullā angustiā aut rerum penuriā laborare in itinere tam illos ipsis, quam eorum res, aut jumenta nullo modō

1706 infestari, aut libero transitu arceri finatis, imo ut ab uno ad alterum salvi & incolumes perveniant, diligenter curabitis: Ita scitote, & Meo Signo Imperiali fidem habetote. Datum decem diebus intermediis mensis Ramaesan anno Hegiræ 1118.

In Præservata Urbe  
Constantinopoli.

VIII. Post has litteras obtentas Cæsareus Internuncius de cima die mensis Decembris Constantinopolî Viennam redditurus iter est auspicatus. Pater verò eadem luce ad portum, ubi naves hærebant, se contulit, ultimùm tentaturus, num quosdam ex acerbissima triremibus serviture posset liberare. Neque irritus fuit conatus; nam quinque viros, ætate florentes, & robustos viribûs magnô tamen grandique lytrô redemit. Igitur præter unum & alium, quem jam anteà Redemptionis ære ab hac calamitate exemerat, & tres superiùs indicatos in universum novem solummodo e triremibus habuit redemptos, nec plures obtainere potuit. His, ut copiosior foret Redemptio, proximè accesserunt mulieres aliquot exsolutô pretiô in libertatem vindicatæ. Sic attenuatis sat frugi loculis se quoque cum suis redemptis ad redditum comparavit, atque in hunc finem, ne eis necessaria in via deessent, aliquot saccos panis & oryzæ coëmit; non enim ubique per regiones illas victualia reperiuntur, quamvis magnô quis pretiô ea licitari vellet. Porrò ne quoque idonea cibis coquendis instrumenta deessent, mercatus est grande caldarium aheneum, nec non sex magnos ligneos catinos ad distribuenda redemptis viatoribus cibaria: decem præterea currus tribûs equis instructos Belgradum usque conduxit, pacta in singulos triginta quinque imperialium mercede, hac tamen conditione adjecta, ut aurigæ in via se, suaque jumenta propriis sumptibûs alerent, & si quis equus per viam creparet, ipsi suo ære aliud compararent. Repertus demum est Turca e Czausiorum numero, quorum apud eam gentem non modica est auctoritas, qui pro quinquaginta imperialium honorariô Patrem & redemptos per viam Belgradum usque comitaretur, Litteras Salvi Conductûs observari cogeret, omnes ab occursum molestis juxta vires protegeret, ac suboritura fortassis impedimenta consiliô, auxiliisque removere conaretur.

IX. Rebûs itâ providè ordinatis Pater die vigesima Decembris Constantinopolî digressus Cæsareum Internuncium decem dierum intervallô sequebatur, molesto sanè itinere, quô non solum adversus brumalem cœli rigorem, sed etiam contra tenebras eis decertandum erat; Sol enim, qui tali tempore vix aliquot horis integrum suæ lucis usuram concedit, illos quotidie coëgit & in tenebris iter auspicari, & in multam noctem proficisci. Adveniente meridie in quacunque aëris intemperie sub dio prandebant, solo pane contenti, quod aliis cibis parandis opportunitas plerumque deesset: noctu verò stelligerô cœlô tecti ubicunque fors tulisset, subsistere debuerunt, excitatis in campo ignibûs, quos

Quinque ex  
triemibus i-  
terum liberar-  
eunt.

Ad iter neces-  
saria prepa-  
rantes.

Decem carri  
condukti.


Et Turca Dux  
Itineris.

Star tempore  
brumali mo-  
lestius.

Hospitia in  
campis.

quos in defectu ligni virgultis, rubetis, carduis, aut etiam boum excrementis fovebant, atque ad hunc focum algentia corpora calefaciebant, similique cibos, quibus vescerentur, coquebant: haec tamen inter incommoda, quod & ipsi redempti satis admirari nequibant, consonisque suffragiis peculiari DEI protectioni tribuebant, nemo ægrius habere, aut valetudine tentari visus est. Lautissima subinde eorum erant hospitia publica quædam domicilia, *Han* gentis vocabulo dicta, quæ omnibus patent, quacunque horâ diei vel noctis viatores adveniant. Hujusmodi diversoria in peregrinantium commoditatem ædificata non pauca occurunt in Turcia, ad quæ nullo statu, aut religionis discrimine divertunt, quicunque volunt. Talia ædificia vasta sunt admodum, & præter morem aliarum domuum Turcicarum e lapidibus exstructa longius aliquantò quam latius protensa, & plumbô plerumque aut ære Cyprio tecta. Nulla ibi cubicula videoas, nisi unum aliquod angustius, superventororum fors Bassarum usibus deputatum, quamvis & hoc non ubique reperiatur. In vestibulo communiter fons est, potui, lavandisque corporibus inserviens; miramque superstitione Mahometani corporum ablutioni student, quæ omnes simul animæ maculas elui credunt. Reliquam talium hospitorum descriptionem ex Cornelio Drieschio referemus, qui ea ante paucos annos lustravit, & his verbis depinxit. *In medio,* ait, *borum diversiorum extat area sarcinis ponendis, & carris, camelis, etiam mulis, equis ceterisque jumentis stabulandis. Murus tres pedes altus, totidemque latus, quaternis lateribus, quibus totum edificium continetur, hæret adstructus. Superficies ejus plana, camini binc indè per parietem ascendet. Hic murus hospitibus pro cubili, pro cœnaculo, pro mensa, & pro lecto est, jumentis & pecoribus sola muri latitudine separatis, quinimò ad hujus muri pedem ita ligata ea babent, ut sèpè tota super eundem cervice emineant, dominisque ad ignem, aut mensam sedentibus adstant veluti ministratura, panis frustum non-nunquam, sive aliud quid de manibus eorum accipiunt, & edant.* - - *Nihil ibi absconditum, palam aguntur omnia, nec potest quidquam ab aliorum oculis, nisi noctis tenebris submoveri. Lectus cuivis sua vestis, quæ die regitur, cervical epippium. Ad tale itaque hospitium sive publicum stabulum ea nocte diverterunt, quæ æterni PATRIS VERBUM pro nostra salute in stabulo Bethlemitico natum recolimus vesperi ante vigesimam quintam Decembris. Huc delatus P. Redemptor continuò aram erexit, & post medium noctem ibidem tria Missæ sacrificia peregit, cunctis pro Christiano more Sacrosanctæ Nativitatis CHRISTI Mysteria tanto teneriore devotionis affectu recolentibus, quanto tempus, locus, Redemptio, ceteraque impræsentiarum symbola suo prototypo erant magis conformia.*

1706.

*Han publicum est stabulum.**Eius descrip. ptio.**Turcas frequenter se lavant, eorum superstitione.**Drieschius in Histor. Magna Legionis lib. 2. pag. 172.**Stabuli Bethlemitici s. multitudo.*

1706.

C A P U T VIII.  
*Frater Socius in Crimea Redemptionem absolvit, &  
in Valachiam proficiscitur.*

*Plares con-  
currunt capti-  
vi redemptio-  
ne in expeten-  
tia.*

I. **J**AM verò ante anni hujus finem, quid interea post Patris Redemptoris e Crimea discessum acciderit Fratri Socio, breviter commemorabo. Ille sumpta totius ibidem negotii procuratione in opus haud perfunctoriè incubuit, successu æquè non contemnendo, quidquid contra machinarentur Tartari. Post Patris itaque discessum augebatur indiès captivorum concursus, quod prudenter suspicarentur, Fratrem socium diu deinceps ibidem non amplius moraturum. Occasione igitur usuri tentarunt omnia, ut libertatem adipiscerentur. Et reāpse redempti fuerunt, quotquot moderatō pretiō emi poterant, rejectis illis, qui pro immodicō lytrō venales offerebantur; hos enim in talibus circumstantiis sibi frater redimere minimè tutum ducebat, veritus, ne, si quem altiore persolvisset pretiō, cæteri omnes, qui minore conveniebant, emptionem irritarent, ex quo grandis in hac barbara gente tumultus oriri potuisset.

*Pro singulis  
redemptis Bas-  
sa vectigal a-  
xigit.*

II. Ad Octobris diem septimam Bassa, quem *Boluk* appellant, homo, si quis alias, pecuniae cupidus, totusque in avaritiam projectus, fratrem adivit, & pro quolibet redempto quinque imperiales cum dimidio sibi pendi postulavit. Gravis hæc fratri fuit visa exactio, quam ut amoliretur, conquestus est apud amicum Medicum, rogavitque eundem, ut sibi a Chano immunitatis privilegium impetraret; sed inutilis fuit omnis conatus; Chanus enim ad has preces obsurduit: unde cum Bassa identidem ad fratrem stomachabundus reverteretur, coactus est pro sexaginta redemptis sexcentos imperiales pendere. Inspectis itaque reliquis facultatibus suis decem adhuc redimere, & post hæc abire statuit. Rogavit itaque eundem Medicum, ut pro septuaginta redemptis a Chano salvi Conductū litteras impetraret, quas etiam ejus ope celeriter est consecutus, lingua quidem Tartarica scriptas, sed quæ in Latinum idioma translatae ita sonant:

*Salvi Condu-  
ctū litteras  
impetrantur.*

Locus Signi Regii.

*Causa hujus Excelsi Regii Mandati est ista: Cùm exhibitor hu-  
jus Excelsi Mandati Nostri Religiosus Frater septuaginta captivos  
Christianos pretiō redemptos ad patrios lares reducat, Nos eidem hoc  
Nostrum Nobilissimum Mandatum deditus, quò jubemus, ut ne-  
mo viso hòc Nostro Mandato sit in Crimea, sive apud Portam  
Ferkakirmam, sive etiam apud Trajetus Osu, id est Borysthenis,  
Miak & Danubii, qui eum a libero aditu & transitu prohibeat,  
aut quocunque alio modo molestare præsumat, sed potius ubique  
juxta tenorem hujus Nostri Mandati se morigerum & obsequentem  
præbeat. Ita scitote. Datum die vigesima nona mensis Gemaziul A-  
chir, anno Hegiræ 1118.*

III.

III. His litteris obtentis, cùm frater Joannes præter sexaginta illos, quos jam redemerat, captivos, alios adhuc decem coëmtere vellet, improba quorundam Armenorum negotiatorum machinatione a proposito suo excidit; hi enim aureis nummis, quos Tartari pro venditis mancipiis receperant, callide insidiantes, ut eos levè permutatione sibi vendicarent, suaque inde compendia in aliis regionibus augerent, persuadere Tartaris conati sunt, aurum justo pondere destituiri, & ob fuscitatem suam aut suberatum esse, aut aliò vitiò laborare. Hoc jactò fundamentò ipsi pro libitu ejus pretium attenuabant, minuebantque, tantò majorem quæstum, ut opinari prouum est, inde facturi. Ea res magnopere animos Tartarorum exulceravit indignitate facinoris impotenter excandescientium, quòd post mancipia sua infimò pretiò vendita, & penè convitiò extorta, nunc ad malorum cumulum in auri valore se fraudatos viderent. Quapropter auream monetam deinceps in mancipiorum venditionibus recipere detrectarunt: alia verò moneta in regione omnium egentissima haud facile reperiatur, quam frater pro aurea permutaret. Hæc Armenorum vafrties effecit, ut nemo Tartarorum cum fratre contractum inire vellet, ac Redemptio ad difficilem scopulum impingeret. Rebus sic in arduo hærentibüs quidam Institor Armenus, quia propter suam ubique notam nequitiam paucos nummos aureos a Tartari permutatione nancisci poterat, ad æruscandum fratrem se applicuit, subdolè pollicitus, argenteam monetam se suppeditaturum, si modò priùs sibi aurum inspicere liceret. Frater nihil suspicatus sinistri, centum aureos proposuit in argenteam monetam permutandos. Vedit ille, inspexitque saepius aurum, sed propter fatales rationes quinquaginta ex illis aureis repudiavit, quos non satiis nitidos & fulgentes causabatur, & ne versipelli suò ingenio stropham ullam intactam relinquoret, mentiri non erubuit, eis quatuor grana justi ponderis deesse. Cognovit illicò frater impostorem, & earum fraudum architectum, atque resumptis aureis hominem sic abegit, ut iterum reverti ausus non fuerit. Exinde frater aurum, ut majori fulgore niteret, aqua & sapone decoxit, polluitque, & illustravit, atque unum adhuc alterumve mancipium eo fulgore in libertatem afferuit.

IV. Altera die, quæ fuit Octobris decima, cùm sparsus ille de auri iniquitate rumor in Tartarorum cerebris magis nidulatur, petulantibüs dicteriis alii insultarunt iis, qui heri ejusmodi aurum receperant. Nec stetit hic barbarorum procacitas, sed quinquaginta eorum facto agmine ad ædes Vezirii concurrerunt, de multis non sine acrimonia conquesti: nempe se horrendo stellionatu a fratre deceptos esse, qui mancipia tanti non solveret, quanti ipsi vellent, servos præterà suos effici refractarios, immo & formidabiles, si eos vendere abnuerent. Et reapse non erat de nihilo, quod ipsi de servorum suorum contumacia querulabantur; Germanicæ siquidem nationis mancipia ex desperatione redemptionis extrema remedia circumspiciebant. Erat eorum aliquis, qui exerte dejerabat, se violentas sibi manus illaturum,

Kkkkk

nisi

1706.  
Armenorum  
fraus.Tartari ex-  
cerbantur in  
fratrem.Armeni cu-  
jusdam repel-  
lunt impu-  
dentia.Aurum lava-  
tur, ut sit ful-  
gidius, quo alii  
qui redimme-  
tus captivi.Adversus fra-  
trem fit con-  
cursus Tarta-  
rorum.Captivorum  
desperatio.

1706. nisi nunc in libertatem venderetur. Alter eousque jam progressus fuerat, ut herum suum, a venditione alienum, stricto cultro insiliret, eumque trucidare aggrederetur. His querelis motus Vezirius, ut seditionibus ac tumultibus, qui exinde oriri potuissent, tempestivè occurreret, quendam suorum satellitum ad fratrem misit, eumque monuit, ut, si suæ suorumque saluti consultum esse vellet, ab emendis mancipiis deinceps jam abstineret, atque regionem quamprimum excederet, in plebe concitatam esse seditionem, caveret igitur, ne in caput ejus erumperet: conspirationem per momenta augeri, videret proinde, ut se quanto-  
cyùs discrimini subduceret.

Vezirius fratri nunciat seditionem, eumque moneret, ut ab emendis mancipiis abstineat.  
Frater his auditis nuncium ad Vezirium remisit, illique magnas persolvi jussit gratias pro benevolia monitione, pollicitus, se ejusdem consiliis morem gesturum, & propediem e Crimea emigraturum: cæterum ingratum esse sibi audire, quod adversus regiam protectionem quidpiam agatur, confidere se, Vezirium suâ prudentiâ omnem tumultuantis populi commotionem providè sedaturum. Dimisso in hunc modum satellite duos mox alios captivos de quorum lytro cum heris eorum jam convenerat, numerato ære redemit, & accersitis custodibûs hospitium suum munivit, ne Tartarorum irruptionibus pateret, néve solitîs expostulationibûs novorum jurgiorum occasio recrudesceret. Hinc statuit tantisper a publico abstinere, donec æstus animorum deferbuisset.

Duos captivos adhuc redimit.  
Custodes ad ostium ponit.  
Abiturienti se opponere conantur.  
Ad iter se disponit.

V. Verum enim verò, cùm se nunquam satis tutum intelligeret, quamdiu in medio tam barbaræ nationis versaretur, serid jam de itinere maturando cogitationem suscepit, carrosque, & victualia ad viam necessaria coëmit, ac prætereà Centurionem Tartarum, idiomatis Hungarici gnarum, cum quo sinè aio interprete loqui posset, pacta mercede conduxit. Ad decimam sextam Octobris circa meridiem, cùm omnes jam in procinctu starent ad iter ineundum, & equi plaustris juncti primum aurigæ nutum ad cursum expectarent, venit Regiæ aulae Præfectus cum aliis ejus gentis Primoribus, & quæsivit, num salvi Conductûs litteris muniti abirent? Affirmante Fratre ac dicente: Salvi Conductûs litteras se habere a Chano, ac posse cum septuaginta hominibus regionem egredi, replicuere illi, Chanum nihil scire de hujusmodi litteris, eas subreptitiô modô, & ipsis insciis impetratas fuisse; redderet proinde illas, sibi autem curæ fore, ut alias bonas & legitimas reciperet. Non ignorabat frater hæc a nummiposiis illis Euclionibus eo tantùm fine dici, ut se aliquot aureis emungerent: undè neglecta eorum monitione breviter simul & festivè respondit: *Quod scriptum est, scriptum est.* Quibûs verbis eorum quidem cupiditatem retudit, non tamen veteratorias illorum artes plenè effugit; isti enim, cùm vidissent, se hac ratione nihil effecisse, ad alias conversi technas quæsiverunt, qui sint redempti pretiô, qui liberti? numerandos esse homines utriusque sortis. Dum omnes per seriem ad numerandum disponuntur, Centurio Tartarus, futurus comes itineris, vir non admodum improbus, pretiô redemptos statuit in principio, libertos in

Litteras alias salvi Conductûs dare volunt, sed non audiuntur.

Alia de liberis educendis difficultas.

in fine, arbitratus nimirūm, facilè posse succedere, ut numeratis prioribūs, quos persolutō lytrō libertatem recuperāsse constabat, cæteri quoque liberti redemptorum classi accerferentur, quod ille quidem tantò fecit confidentiūs, quantò faciliūs prætensā ignorantia culpam suam excusare poterat. Sed quidquid ageret, lynceos eorum, & prædæ intentissimos oculos fallere nequivit; illi enim defixis in singulos accuratissimè oculis protinus deprehenderunt, quosdam eorum esse libertos. His itaque detectis Tartari stentoria voce conclamaverunt, istis per leges Regni minimè licere vel pedem e Crimea efferre. Nec morati e vestigio supremum suum flaminem (Mufftium vocant) adiverunt, eidēmque ceu causarum cognitori, & summo Legum interpreti rem totam aperuerunt. Mufftius, ut intellexit, libertorum quosdam clandestinam fugam moliri, confessim nuncium expedivit, qui libertis egressum regionis interdiceret. Hæc prohibitio fratrems in extremas redegit angustias; causa enim ut plurimum verfabatur inter conjuges, quorum pars una pretiō redempta, pars altera ex libertis conjugem sequebatur, neutra verò a legitimo thori socio separari sustinebat: atque hinc periculum nascebatur, ne quidam pretiō redempti, & cum libertis matrimonio juncti abstraherentur, vel in Crimea remanere cogerentur. Quoad libertos enim hac in regione contingit non infrequenter, ut Tartari, si a lethali quadam infirmitate ex voto convalescant, aut supremis testamenti tabulis id præcipiant, aut fidele cujusdam mancipii servitium remunerari velint, servos suos manumittant, quō benefiō aucti libertis adscribuntur, & inter Tartaros quasi civitate donantur, ea tamen lege, ne unquam regionem excedant, Regique sive Chano quotannis aureum nummum pendant, quod genus vestigalis illi Haracz vocant: cæterū eis integrum manet per totam provinciam liberè negotiari. Hoc igitur incommodum, quod frater metuebat, ut cautè submoveret, aurō corruptendum Mufftium sibi sumpsit, eidēmque duodecim aureos nummos tradidit, quibus placatus conniveret, nec jamjam abeuntibus remoram objiceret.

VI. Post modicum tempus iterum reversi sunt Tartari numeratū pretiō redemptos, ubi Centurio Tartarus noster de placato Mufftio jam securus monuit omnes, ut nunc dicerent, se pretiō libertatem comparasse, quod & factum fuit; cùm enim Tartari libertos inquirerent, nemo se libertum dixit, sed omnes audacter se pretiō redemptos fuisse asseruerunt, atque hōc dictō liberam sibi ad iter ineundum viam aperuerunt. Tartari quidem fraudem subodorati sunt, verū nemo fuit, qui verbum opponere auderet, verebantur nimirūm Mufftii auctoritatem, quæ ab illis velut sacrosancta potestas respicitur.

VII. Hora quinta jam fluxerat post meridiem, cùm Medicus & Pater Societatis, quorum superiū non semel mentionem fecimus, fratri valedicturi advenerunt. In eorum igitur comitatu majore fiducia urbem sunt egressi. Sed dum eunt, amicisque colloquiis se divertunt, ecce tibi! anhelus a tergo instat alter

1706.

Libertis re-gionis egressus prohibetur.

Qui in Tartaria libertatem consequuntur.

Haracz vestigal.

Mufftius auro corruptitur.

Omnes jam se pretiō redemptos profitentur.

Civitatem egrediuntur.

In via quidam sedimunt.

1706. Tartarus, mancipium post se trahens, & inconditis vociferationibus venale offerens. Substitit acutum Frater Joannes, factaque extemporanea conventione mancipium stante pede redemit, illudque in arena persolvit gestiente & exultante homine, cum se repente videret reliquis redemptis accenseri, & praeter spem postliminiò in patriam reduci. Ea nocte, quantum licuit, iter strenue promoverunt, currum fratris etiam ascendentibus Jesuita & Medicô. His suis charissimis hospitibus postea frater cœnulam in viridante cespite apposuit, omnésque ibidem juxta carros ad sequentis diei auroram in eodem campo sub dio quieverunt, inde simul ulterius profecti (nondum enim se frater ex omni parte securum rebatur, unde Regium Medicum dimittere non potuit, ejus adhuc protectione opus habebat, ut si quid adversum emergeret, ejus auctoritate protinus dissolveretur) altera die sub noctem ad Han, sive publicum stabulum, quale superius descripsimus, pervenerunt. Post noctem ibidem exactam, sequenti die, quæ fuit decima octava mensis Octobris, Medicus & Pater Societatis IESU, quod nihil jam esset metuendum, fratri vale supremum dixerunt, & inter mutuas faustasque comprecationes post sèpius repetitam Fratris gratiarum actionem pro præfita ope ab invicem discesserunt conjunctis animorum affectibus.

VIII. Post sex dierum iter inter plurima incommoda, utputa pruinias, pluvias, densissimasque e vicinis paludibus marique exhalatas nebulas confectum, tandem arcem Precopensem, quæ est claustrum provinciae & regionis porta, feliciter attigerunt. Hic sistendum fuit, donec omnes, qui sint, & unde veniant, vel quo tendant, examinarentur. Dum ibidem cum curribus diutiùs præstolantur, observati sunt Tartari quasi per otium circumire redemptos. Pronum fuit suspicari, illos tam sollicitè obambulare, ut explorarent, an non redemptis his aliqui liberti permixti essent. Frater itaque ut omne novis litibus filum incideret, universis severè prohibuit, ne quis cum circumvolantibus Tartaris vel verbum loqui præsumeret. Soluti sunt ad telonium triginta imperiales. Inde claustra regionis prætergressi rursus pedem figere debuerunt, quodam prodeunte (Soldanum vocant, qui claustrum illud in sua potestate habebat) atque argente, plures venire, quam qui testimonia libertatis haberent. Pupugit hoc dictum præsertim libertos, qui se eō designari certius arbitrabantur. At frater placide subridens respondit, omnes istos esse liberos, & in Regia Chani redemptos, id ipsum manifestum testari litteras Salvi Conductūs. Solvit ibidem Soldano septuaginta imperiales (tot enim erant capita) & abire permisus est. Iter deinceps usque in Valachiam continuârunt, quotidianis ærumnis & periculis, ut facile credi potest, afflicti ob frequentes fluviorum trajectus, qui sub idem tempus crebrioribus imbribus aucti, plurimum intumuerant. Vastum quoque illud desertum, quod a Borysthene ad Moldaviam usque procurrit, & frequentissimis latronum manipulis scatet, eis solicitudinem acuit, ne inferiores numerò incursu majore obruerentur. Verum cùm

Cœna in campo cum Jesuita & Medicô.

Cap. 7. n. 9.

Valedicunt.

Ad claustra transitus pro redemptis solitus vestigia.

Loqui cum Tartaris prohibetur redemptis.

Iter difficile.

cum in aliarum Redemptionum descriptionibus hujuscemodi æ-  
rumnas sæpius jam recensuerimus, eandem nunc crambem re-  
coquere nolumus, rati, talium rerum repetitam narrationem non  
solum scriptori, verùm etiam ipsi quoque Lectori fastidium pa-  
rere. Fusiūs, & ad minutias usque hæc omnia est prosecutus,  
prout quotidie acciderant, dictus frater in suo hodoeporico ger-  
manico, cuius manuscriptum in Bibliotheca nostri Collegii Vien-  
nensis etiamnum asservatur: indè petat, quicunque plura voluerit.

Extat Dia-  
rium hujus i-  
tineris.

IX. Focsiatum nobilem Valachiæ civitatem die decima No-  
vembris horâ secundâ post meridiem ingressi sunt, ibique stete-  
runt, donec Minister Principis advenisset. Ei percontanti, quam-  
diu hic morari desiderarent? Frater nihil ad hoc respondit, sed  
solum significavit, se habere Sacræ Cæsareæ Majestatis Epistolas  
Principi tradendas, rogare submissè pro gratia ipsum alloquen-  
di. Excusavit Minister, dixítque id haud facile nunc successurum,  
quòd graffante epidemica lue Princeps nemini sui copiam faceret;  
obiisse namque intra tres hebdomadas ultra septingentos quinqua-  
ginta homines. Exhortatus est proinde fratrem, ut sibi eas Epi-  
stolas traderet, pollicitus, se fideliter easdem Principis manibus  
consignaturum. Optimo huic consilio frater incunænter morem  
gescit, traditisque Ministro Epistolis rursus post aliquot dies Prin-  
cipis alloquium expetivit, votique compos effectus negotium si-  
bi propositum tam felici effectu tractavit, ut Princeps ultro pol-  
licitus sit, se currus, equos & ductorem suppeditaturum, qui-  
bûs Redemptio ad Valachiæ confinia perduceretur, pro qua tan-  
ti Principis benevolentia frater gratias, quas potuit maximas,  
persolvit. Focsiatum locus ille erat, in quo frater Patris Redem-  
ptoris adventum, juxta mutuam eorum conventionem, opperiri  
decreverat, sed cum longo tempore Patrem expectasset, nec tamen  
nuncium aliquem de ipso obtinuisse, ne desidiosa statione tempus  
sinè fructu tereret, in Budziakensem Tartariam excurrere consti-  
tuit, partim ut, si posset, ex residua pecunia captivos nonnullos  
redimeret, partim etiam, ut certiora de P. Redemptore, quem  
proximè superventurum speraverat, ibidem audiret. Sed incas-  
sum omnia; de mancipliis enim nullum eliberare potuit, nec de  
Patre ullum nuncium vel indicium accepit.

Pestis ibidem  
graflatur.

Epistole Cæ-  
saris tradun-  
tur.

Principis allo-  
quium conce-  
ditur favori-  
büs plenam.

In Budziakum  
excurrit Fra-  
ter.

Tergovistum  
movet.

Litteras Pa-  
tris obtinet.

X. Reversus itaque Focsiatum, cum annus ad finem ver-  
geret, nec spes amplius esset, Patrem tam importuno tempore  
PontiEuxini fluctibus se coñissurum, cum toto agmine Tergovistum  
movit, quòd Princeps etiam Valachiæ salubrioris auræ captandæ  
gratiâ non pridem concesserat. Ad eam civitatem pervenit, dum  
juxta Julianas Kalendas Græci suo more ritûque Natalem Domi-  
ni celebrabant. Ibi Excellentissimum Nicolaum Rosettum Princi-  
pis Generum, primum in aula Ministruum, salutatus accessit,  
eidemque anxietatis suæ causas confidenter aperuit, videlicet P.  
Redemptorem, priusquam e Crimea Byzantium navigaret,  
sibi in mandatis dedisse, ut in Valachia ejus adventum præstola-  
retur, quatenus deinde conjunctis redemptis simul in patriam  
proficerentur: nunc verò duos propè menses jam effluxisse,

1706. quibūs Patrem & frustra expectaret, & nuncium ab eo nullum recipere, atque adeò se magnoperè perplexum hærere, & quid porrò ageret, prorsus ignorare. Ad hæc Principis Gener reposuit, se habere missas Byzantiō litteras, nescire tamen, ad quem illæ perscriptæ forent. Hīs dictis epistolam quæsivit, eámque facile inventam fratri ostendit, qui conspecta ejus inscriptione protinus agnovit, hanc sibi a Patre missam fuisse. Lectis itaque litteris didicit, Patrem ob insuperabilia impedimenta datam fidem solvere non potuisse, velle se, ut nullā interpositā morā iter versus Sirmium & Croatiam prosequeretur. Hōc pactō citra ambiguitatē intellexit, quid sibi faciendum esset. Rebūs igitur celeriter dispositis iter festinavit. Laudanda hīc est Principis Valachiae liberalitas, qui annonam pro omnibus affatim subministravit, currus & equos sufficiētes parari jussit, fratrique centum & quinquaginta florenos in viaticum donavit: unde lāetus descendens ad Valachiæ confinia cum suo ductore tetendit, Croatiam & Styriam indē petiturus; nam Transilvaniā & Hungariā compendiosiore via propter seditiosos motus, quibūs tunc utrāque regio feruebat, nondum securè transire audebat, quōd & ipsum P. Redemptor disertè vetuerat.

Iter versus  
Croatiam ac-  
celerat.

Principis li-  
beralitas.

## C A P U T IX.

*Ulterior ex utraque parte itineris progressus. Re-  
demptio conjungitur, & Viennam pervenit.*

1707.  
Belgradum  
venit Pater.

Gubernatori  
Petri-Varadi-  
nenſi adven-  
tus nuncia-  
tur.

In duas tur-  
mas dividun-  
tur.

I. **A**nnum ordimur a parta humani generis salute milleſimum septingenteſimum septimum, in cuius initio, decima ni- mirum & septima die mensis Januarii P. Redemptor cum suo e- mancipatorum agmine Belgradum appulit, quō & eadem quidem die paucas ante horas Cæſareus Internuncius, qui cum suo co- mitatu decem diebūs redemptorum agmen præcesserat, pervenit. Sub itineris hujus decursu aurigæ suam operam egregiè præstiterant, præcipue tamen hac die, ut est in fine cursus velocior, quā metæ propinquiores, a media nocte viam auspicati tanta celeritate pro- gressi fuerunt Belgradum, ut urbem sicut proposuerant, itā feli- citer omnino attigerint. Illic lātis nutibūs, & effusa urbanitate gratulabundi se iterum veteres socii peramicè consalutārunt: spes proxima Augustissimi Cæſaris provincias, terrāsque pridem opta- tas revisendi omnium animos recreabat. Quatriduō ibidem de- morati sunt, quo tempore Cæſareus Internuncius Gubernatori Petri-Varadinensi de suo significavit adventu, ut tanto viatorum numero per Jurisdictionis suæ territorium profectionis subsidia mature pararet. Ne verò multitudine gravarentur cives, & quis- que in obviis diversoriis majore commoditate exciperetur, in duas turmas iterum sunt a se divisi. Cum verò Cæſareus Orator prudenter conjiceret Patrem cum suis redemptis exiguum hospi- talitatem reperturum, si ipse cum suo numero comitatu & fa- mulitio præcederet, non minore charitate quam prudentia jussit, eundem

eundem Patrem Redemptorem præcedere: ipse verò post dies aliquot subsequi decrevit, certus, sibi in itinere ob Personæ, quam gerebat, auctoritatem nihil defuturum. Rebūs ad hunc modum probè ordinatis Pater cum libertis suis iter feliciter est auspiciatus, Turcicisque ditionibüs peragratī brevi Salankemenum, oppidum Cæsaris victoria clarum, pervenit. Ibi obvium habuit Petri-Varadinō ad se missum ductorem militem, qui Patrem & redemptos Essekimum usque nihil lautoris commeatūs passus est desiderare. Hinc Græcum Styriæ Metropolim contenderunt, eadem ubique hospitalitatis officia experti.

II. Porrò, cùm Pater Græciō non longius abesset, præter opinionem tabellarius adfuit litteras a fratre socio missas perferens, e quibus intellexit, fratrem cum altera turma liberatorum salvum & incolumem pede pressim subsequi. Hoc nunciō acceptō Pater impensè gavisus est, statuítque appropinquantem fratrem Græcii opperiri, atque in ejus societate Viennam junctis agminibüs proficisci. Eō itaque cum suo manipulo post paucos dies allapsō, ambo simul Viennam moverunt, ac tandem die decima nona mensis Martii in ipso scilicet festo S. JOSEPHI, quod Imperatori onomasticum erat, primā post meridiem horā urbis pomœria tenuerunt. Evidem Redemptionis adventus celeriter significatus fuit, sed quia Augustissimus Noster, cui constitutum erat, hunc plenum pietatis triumphum propriis oculis usurpare, totam illam diem in Templo S. JOSEPHI, quod Religiosissimæ Virgines Excalceatæ de Monte Carmelo obtinent, inter privata Austriacæ devotionis exercitia transegerat, Redemptionis ingressus in sequentem diem dilatus fuit. Pater Redemptor intellecta suæ Majestatis voluntate Matzelstorffium, proximum vicum, qui suburbis accensetur, se recepit, ibidēmque noctem transgit. Altera die ad horam primam a meridie cum redemptis in Ecclesiam S. Francisci de Paula, quæ est Patrum Ordinis Minimorum, se contulit, Religiosam nostram Communitatem, Sodaliūmque Sanctissimæ TRINITATIS Confraternitatem, & totam pansi vexillis in occursum effusam Supplicationis pomparam ibi præstolaturus. Inde producta fuit splendidissima Procesio inter festivum Psalmorum concentum, lætūmque tubarum clangorem. Urbem ingressi per portam Carinthiacam, emensaque ejusdem nominis plateā cum foro Herbario per Aulam Cæsaream (ubi Sacratissimæ Majestates & Serenissima Austriacæ Domus Familia e Palatii fenestrī supplicationis ordinem pio commiserationis affectu contemplabantur) dein per vicum Dominorum & urbis portam, quæ a Scotis nomen habet, ad nostrum Templum perverunt. Hic ad confertam tum comitantis, tum accurrentis populi multitudinem patriâ linguâ orationem panegyricam dixit P. Ignatius a S. Michaële Ordinis Nostri Sacerdos, quæ peroratā Augustino-Ambrosianus Hymnus sub exquisitis phonascorum modulis ad patentem Sacram Eucharistiam pro gratiarum actione fuit decantatus, & sic demum octava hæc Redemptio, quæ tantis laboribüs stetit, finem accepit.

1707.  
Prudens Con-  
siliū Cæsarei  
Internuncii.

Propè Græ-  
cium P. Re-  
demptor nun-  
ciū accipit  
de Fratris So-  
ciī adventu.

Viennam si-  
mul veniens  
19. Martii.


20. ejusdem  
urbem sole-  
niter ingredi-  
untur.

1707.  
Redempt  
105.

III. Redempti fuere hac vice centum & quinque captivi: ex iis viri, qui olim militaria Cæsaris stipendia meruerant, quadraginta, cæteri ut plurimùm e numero illorum erant, quos ultima obsidio Viennensis tristissimæ servituti addixerat, a circumvolantibus per Austriam Tartaris intercepti. Præter hos undecim etiam pueri, puellæque numerabantur, qui undecimum ætatis annum nondum superaverant. Dedicata autem fuit hæc Redemptio Augustissimo JOSEPHO Romanorum Imperatori, cuius inscriptio ex nostro Musæolo prodiit sequentibüs verbis:

Dedicatio Re-  
demptionis.

*En CÆSAR! Lapedes de Orientalium Barbarorum feritate excisi, & Augustissime Tuæ consecrati Clementia. Hi Lapedes sanè pretiosi, licet mortali omnium miserrimi Christiani, qui captivi inter creberrimos hostium ictus & incudes rigentes Sanctissimæ TRINITATIS Fidem, & Augustissime Majestatis Tuæ una pariter AMOREM & TIMOREM adamantinâ semper mentis Constantiâ retinuere. Non cesserunt ad hostiles, trucésque tyranorum insultus & odia, non flectebantur minis, non molliebantur blanditiis, non curvabantur verberibus, & patriam, libertatemque, quam desiderabant ardenter, constantissimeque expectabant. Demum desideriis, quibus tot annorum circulis arctabantur, minimè fraudati, post longam tot cruciatibus mortem ad pedes Sacratissimæ Majestatis Vestrae postliminiò accurrunt redivivi, & protensis in cælum manibus gratias agunt DEO, benedicuntque Cæsari, quia patriam, quam tantis obnoxiam discriminibus defendendam acceperant, tandem feliciter reduces obtinuerunt exosculandam. Multò adhuc felicior, nobisque melior fors in redimendis tot parvulis obtigit: hi, ut potè in tenebris nati, in odium Divine Legis educandi, Alcorani fallaciis instituendi, & tandem in perniciem Christianorum olim armandi fuissent; jam vero in parentum ulnis de Fidei lumine exultant, ad Catholicae Legis pietatem formantur: & quos Respublica acerbissimos hostes olim timuisset, jam devotissimos defensores futuros sperat. Faxit DEUS, Sacratissime Cæsar, ut horum adminiculò Templum S. Sophiae, quod nunc sub infidelium oppressum gemit abominationibus, Te Augustissimum Cæsarem aspiciat Redemptorem, Tuis olim quoque victiarum Lauris coronetur, & universus, quaquà patet, Oriens ad Tuos Augustissimos pedes Josephina Imperia capessiturus advolvatur.*



CA-

## C A P U T X.

1707.

*Parentatio in lugubre funus Eminentissimi Cardina-  
lis Leopoldi a Kollonicz Archi-Episcopi Strigoniensis.*

I. **Q**uamquàm Magnorum Virorum ea sit Nominis Claritas, ut emendicata Oratorum commendatione minimè indigeat, nostri tamen propositi ratio postulat eorum cum honore meminisse, qui de Ordine nostro benè meriti sunt, præsertim ad funebrem urnam, unde procul abest omnis adulacionis suspicio. Superius non semel retulimus Eminentissimi Cardinalis a Kollonicz in nos studium & favores Ordini nostro exhibitos, quem ab illo statim tempore, quô in ejus notitiam pervenit, suis dignum æstimavit gratiis, beneficiis, & auxiliis. Magnæ felicitatis res fuerat, nostræ propagationis exordia in tam benefici Præsulis tempora incidisse, e cuius benevolentia profectò sibi maxima incrementa polliceri haud immeritò poterat, ut potè qui ad sublevandas hominum miseras natus videbatur, nec facilè necessitas ulia aut calamitas reperiebatur, quæ non in ipso paratißimum asylum & refugium haberet. Perspicacissimus rerum Arbitr̄, atque simul Æstimator propendebat eò vel maximè, unde prospiciebat maiorem DEI gloriam, vel Christianæ Reipublicæ utilitatem resultatram. Ideoque nostri Ordinis professores, quòd Redemptioni captivorum sollicitè incumberent, ità in animum admisit suum, ut totum ejus benignissimum pectus occupasse viderentur. Hinc fiebat, ut ipse secum haud oscitanter rationes, viasque dispiceret, quibūs Trinitarius Excalceatus Ordo ad Christianorum captivorum solatium in Cæsareis Domūs Austriacæ Provinciis saluberrimè plantaretur, & latius propagaretur. Ejus Consilio & industriae debentur primordia nostri Viennensis & Illaviensis Cœnobiorum: Posoniense verò ei unicè in acceptis referendum esse, superius clariùs docuimus, quam ut nunc a nobis repeti debeat.

II. Porrò quid ipse Redemptioni captivorum contulerit, nihil attinet multis dicere, cùm ea in propatulo versentur, omnibus nota, nec ullâ temporum injuriâ obliteranda; quod si enim tales sumus, quales esse debemus, videlicet grati, bonique, de referendis gratiis, dum vivimus, semper cogitemus, necesse est. Ipse profectò nihil unquam prætermisit, quod stabiliendo, aut amplificando Redemptionis Instituto conferre potuisse, tantò majoribūs gaudiis incedere solitus, quantò copiosiorem captivorum numerum ex infidelium unguibus nostrorum operâ videbat ereptum. Neque hic itetit fervor ejus, sed etiam plerumque in solemini captivorum ingressu ipse adesse, ipse comitari, ipse venerandâ suâ præsentia religiosas illas pompas ornare consuebat, & ne quid consummatæ beneficentiae deesset, ad extremum redemptos largâ eleemosynâ donabat, ut honestò viatico instruendi citra mendicitatis ærumnas patrios lares revisere possent.

III. Talis ac tantus Vir, postquam Cæsari, Patriæ, & Universitate Christianæ Reipublicæ vitam suam ingentibus meritis abundè compre-

Gratitudinis  
officium est  
benè meritos  
laudare.

Cardinalis in  
Ordinem no-  
strum af-  
fatus.

Captivorum  
Redemptionis  
studiosissimus.

Ejus obitus.

1707. comprobâisset, sœculi nostri Decus, ad anni hujus millesimi septingentesimi septimi exordium adversa valetudine conflictari cœpit. Morbo patientissimè toleratô post recepta Sanctæ nostræ Fidei Sacmenta CHRISTI crucifixi effigiem intuens, Divinæ que voluntati se perfectè subjiciens mortem fortiter oppetiit die vigesima Januarii, cùm vixisset annos quinque supra septuaginta, menses tres, dies quatuor. Vivit nunc, ut piè credimus, cum DEO supernis receptus sedibûs, & ejus cum laude memoria in terris apud omnes bonos perdurabit omni ære perennior.

## C A P U T XI.

*Nostrum Viennense Cœnobium ictum fulmine.*

*Fulmen sœpè faustum omen.*

1. **F**ulminum, ut docent Philosophi, diversa sunt genera, multò autem diversiores effectus. Romani, Græcique loca fulmine tacta quadam religione sacra esse existimabant, & quidem, ut est apud Ammianum Marcellinum veterem historiarum Scriptorem, ea loca ob reverentiam nec intueri, nec calcarifi esse, fulgurales libri docebant. In augurali disciplina testatur Pierius Valerianus, fulmina tam in publica, quam privata opera illapsa, atque etiam per nocturnam imaginem in somnis visa, celebritatem nominis, & magnarum rerum auspicia portendere. Cæcina apud Senecam quædam fulmina vocat *Hospitalia*, idè videlicet, ut ipse inquit, quia Sacrificiis ad nos Numen invitant. Nec vacat nunc commemorare *Fulmen Consilium*, cuius mentio apud eundem auctorem occurrit. Magna hujus observationis vanitas, inquit Plinius, tacta Junonis Ædes Romæ deprehensa est Scauro Consule, qui mox Princeps fuit. Sed & nos hujusmodi fulminum significationes inter veterem obsoletamque Etruscorum vel disciplinam, vel superstitionem putrescere sinamus; quivis absque censura propitium, faustumque fulmen pronunciabit, si nihil, aut parùm intulerit documenti, quale ferè nostrum fuit, quod breviter recensere instituo.

*Plin. Natural. Hist. lib. 2, cap. 54.*

19. Maji fulmen tangit nostram Ecclesiam & conventum.

II. Ineunte vere hujus anni conducta operariorum manus in structura nostræ Ecclesiæ satagebat, cuius ædificium jam propè ad culmen perduxerant: Dies erat decima nona mensis Maii, quæ Juniores Religiosi nostri animi relaxandi gratiâ cum suo moderatore in campos prodierant; erat enim feria quinta, quæ dies a Jove tonante nomen habet. Post meridiem horâ tertią in quartam sensim vergente cœlum hilariorem solitô faciem ostentabat, nullamque secuturæ tempestatis suspicionem faciebat. Sed, ut est dubia sereni cœli fides, circa horam quartam post meridiem nubes ferruginei coloris ex improviso a Septentrione emersit, quæ sua obscuritate horizontem latè involvens atrox quid, incertumque minabatur. Mox velut toti cœlo convenisset scenam mutare, aliæ atque aliæ nubes ita diem eripiebant, ut vix in grando aëre furtiva lux emicaret, per nubium commissuras cum pallore erumpens. Sedebamus duo ad lucem fenestræ ab alijs nego-

1707.

negotiis liberi, quædam pietatis emblemata manu versantes, in quibus excellentis artificis ingenium admirabamur. Hæc inter modicis coruscationibūs subinde fulgetra micabant: nec quidquam gravius suspicati, cruce pro Christiano more, a fronte ad pectus ducta, nos præsignavimus, & folia ulterius petvolvimus. Sed ecce tibi! repente decurrens fulgor unà cum tonitru sub uno temporis momento, terribilisque fragor instar currulum rotarum, super laquearia domūs procurentium, densato tumultu simul concrepant. Non obscurā fulminis conscientiā territi, subito de manibus abjicimus universa, & per gradus ad superiora properamus, imò currimus, si fortè quenquam nostrorum cæmentiarum afflatus fulminis in periculum adduxisset, suprema laturi animæ subsidia. Vidimus sub Ecclesiæ tecto, ubi parietarii fornicem imponebant structuræ, quosdam eorum jacere pronos, stupentesque, alios trepidè stare inclinatos, quasi ambigerent, an integri, vivique consisterent, pallidos omnes, & exangues, qui ab extrema consternatione spiritum nondum receperant. Locus totus sulphureum, nitratumque exhalabat odorem, perinde ac si pyrios pulveres quispiam incendisset. Inclamati, ut valerent, nemini mens adeò constitit, ut respondere posset. Verùm illis tacentibūs inferius ejulantis auditur gemitus: e vestigio ad sonum vocis accurrimus visuri, quid ei damni accidisset. Operarius erat diurnus, in cuius vertice ad duorum digitorum latitudinem erupta atque retracta cutis cruorem distillabat. Dum causa vulneris inquiritur, compertum fuit, pondus laterum, quod sub idem tempus per trochleam superius attrahebatur, ab operariis, fulminis fragore territis, excusso volvulo dimisum in ima ruisse, suóque casu hominis illius, ibidem prorsus stantis, & ex terrore inclinati caput perstrinxisse, majore tamen ejus consternatione, quam detrimento, cùm post paucos dies iterum convaluerit, & ad diurnum opus prosequendum rediverit.

III. Plura fulminis vestigia sparsim in diversis multumque inter se distantibus observata sunt locis. Ante vestibulum Templi jacebat ingens disjectorum imbricum strages. Juxta tholum sub tecto, & propè facellum, cui deinde, ut posteà dicetur, CHRISTI Crucifixi imago, grandi populorum concursu venerabilis, illata fuit, fulmen a tigno fragmentum septem palmos longum avulsit. Ad gradus principales Cœnobii superiore in transitu, & ad alteram cellam ibidem de laqueari ad unius palmi longitudinem gypsamat calcem avulsit, ita ut cannæ raderentur: indè ferè perpendiculariter deorsum descendens ad triclinii mensam, quam transversam dicimus, tribus in locis, aequaliter intet se distantibus, juxta parietem totidem festucas duabūs palmis majores ex dorsualibus tabulis rescidit, atque earum unam ad triclinii medium e regione cathedræ protrusit: ipsum verò parietem in capite triclinii rasit usque ad lateres, serpentini fulminis vestigia a fornice usque ad imum relinquens. Juxtâ pendebat grandis imago, quam tamen intactam dimisit, nisi quòd ad ejusdem marginis extremitatem abliguerit bracteatum aurum, & in ejus locum

Sulphuris,  
nitritique odoris.Operarius in  
vertice lœsus.Cetera fulmi-  
nis vestigia,

1707. taram fuliginem asperferit. Cætera minoris momenti fuere signa fulminis, quæ tamen in duobus & viginti diversis locis observata modico sumptu restaurata sunt.

## C A P U T XII.

### *In Generalibus Ordinis Comitiis anni hujus quedam nostrorum Electiones.*


Electione Generali Ministeri.

I. Post delapsum fulmen in Viennense nostrum Cœnobium, ut nunc recensuimus, biduum pertransierat, cum Patres ad Toletum in Hispania convenere, atque post exactum sexennum Nostro P. Joanni a S. Athanasio more Majorum in Generali Ordinis Ministerio succenturiarunt Nostrum P. Joannem a S. Paulo Virum eximia virtute, doctrinâ & prudentiâ conspicuum, qui post varia Ordinis munia postremò Romæ Minister S. Caroli ad quatuor fontes constitutus, simul & in Romana Curia Generalis Procuratoris officiô functus fuerat. Difficillima sanè in præsens tempora (ubi bellis & odio cuncta miscebantur, omnésque status & Ordines diversis studiis in contrarios affectus scissi fermebant, nemine fermè ab afflato alicujus factionis immuni) sapientem & exercitatum requirebant Ordinis Moderatorem, quem etiam hac electione Ordo noster accepit.

Nostrorum munus officiis.

Viennæ Minister.

II. Pro nostris autem Domibus Germaniae in officio Commisarii Generalis confirmatus fuit P. Martinus ab Ascensione. Hic præcedenti sexenniō pacatè administraverat traditum sibi munus, ut proinde nihil innovandum putaretur, præsertim quia circa hujusmodi officii tempus leges & statuta nostra nihil carent, aut sanctiunt. Cœnobii Viennensis Præfecturam totò trienniō gesterat P. Joannes a Nativitate B. Virginis, priùs e Polonia evocatus, ubi in Redemptoris captivorum officio, aliisque muneribus se insigniter probaverat: nunc autem relictâ Viennâ Italiam iussus est adire, & Romæ Cœnobium S. Caroli ad quatuor Fontes gubernare, quod etiam decima septima die Augusti hinc abiens concessit, ibidemque paulò post Procuratoris Generalis in Romana Curia officiô auctus controversias quasdam feliciter diremit, & domum novis ampliavit ædificiis. Viennæ autem in ejus locum Minister fuit electus P. Josephus a JESU Maria. Redemptoris captivorum officium per duo continuatim triennia hucusque tenuerat P. Josephus a Sanctissimo Sacramento, quod pariter ob interruptum belli tempore litterarum commercium in annum sequentem produxit. In aliis nostris Domibus circa earum Præsides nihil innovatum fuit, quod hi Superiores necdum pertinerent ad Generalis Capituli ordinationem, sed a P. Commisario Generali imponi, vel deponi possent; nunc autem e re Ordinis erat omnia in suo statu tueri.



CA.

## C A P U T XIII.

### Pragensis Domus Fundatio Cæsaris Decretō firmatur.

I. Pragæ nostri ad Matris Dolorosæ ædiculam etiamnum hærebant. Quare cùm omnis spes obtinendæ Ecclesiæ ad S. Lazarum ob enatas semper majores difficultates evanuisset, nostri omissa veteri prætensione animum ad domum Lobkovitzianam non procul indè dissitam applicuerunt, quæ si cum altera vicina Kutscheriana impetraretur, sat commodum struendi Cœnobii situm præbitura videbatur. Quamvis autem nostri minimè ignorant, locum illum majore pretio venundatum iri, eò tamen magis propendebant, quod scirent, eum minoribūs difficultatibus obseptum esse. Rem itaque proprius aggressi cum vidua Domus hærede facile convenerunt, ut accepto pretiō domum nostræ cederet potestati: nec alterius ædis possessor se difficiliorem exhibuit, sed æquali promptitudine in venditionem consensit. Hæc inter Celsissimus Princeps Archi-Episcopus Pragensis erga nos optimè affectus jam persuaserat Illustrissimo Domino Joanni Ignatio Libero Baroni de Putz, ut quamprimum nos proprium fundum ostendere possemus, ipse ibidem Ordini nostro Ecclesiæ ædificaret. Urgebatur quoque res nostra apud Aulam Cæsaream Viennæ, & Pragæ apud Regiam Locumtenentiam, simul & Neo-Urbensem Magistratum: sed hic præsertim per frequenter indictas moras & comperendinationes rem finè fine differebat, vix alia de causa, quam ut lapsu temporis plures dietim emergerent difficultates, & nos a proposito dejecti tandem aliquando ab ejusmodi cogitationibus delisteremus.

Ad aliud  
comparandum  
situm se noltri  
convertunt.

II. Hoc ut intellexit P. Joannes a Cruce, quem procuratoris Generalis charactere ad hanc causam urgendam auctoratum fuisse superius diximus, ad Clementissimum JOSEPHUM I. Romanorum Imperatorem denuò suppliciter configuit, ejusque Regium Patrocinium imploravit. Imperator tanquam Rex Bohemiæ post iteratas apud Neo-Urbensem Magistratum factas inquisitiones, ut intelligeret, an rationes gravioris ponderis subessent, quæ Senatum a nostro Ordine recipiendo absterrerent, tandem die vigesima tertia Decembris hoc anno ad Regiam Locumtenentiam Beignissimum Decretum in nostrum favorem expedivit, quod ex Germano in Latinum Idioma translatum ita sonat:

Arch-Episco-  
pus Baroni de  
Putz per-  
suadit, ut nobis  
ædificaret Ec-  
clesiam.

Cæsaris obti-  
netur iussionis  
Decretum.

## J O S E P H U S.

Chari Fideles, qualem instantiam Consul & Senatus Nostræ Regiæ Neo-Pragensis Civitatis occasione Lobkovitzianæ Domus, quam Patres Trinitarii de Redemptione captivorum pro erectione Cœnobii emere volunt, fecerit, & quid econtra simul a vobis in favorem dictorum Patrum Trinitariorum nunciatum fuerit, hoc  
N n n n Nos


1707. Nos ex vestra obsequentiissima insinuatione sub 28. Novembris hujus anni jam elabentis Clementissimè pluribùs intelleximus.

Et sicut pariter sub 2. Martii anni 1705. a Nostro summe venerando Domino Genitore piissimæ Memoriae Benignissimè resolutum fuit, quod prementionati Religiosi in Nostra Civitate Pragensi sedem figere, & sibi Cœnobium erigere valeant.

Itaque cùm hic Ordo pro redimendis in Turcia existentibus captivis fundatus sit, & idem defacto ab exiguo tempore magnum Christianorum numerum ( inter quos multi Bohemicæ nationis inveniuntur ) redemerit, hinc valde aquum est, ut ad supradictum Ordinem aliqua fiat reflexio, ac eidem locus, ubi se plantare valeat ( & sic melius captivorum in Turcia Bohemorum diligenter minimisse queat ) concedatur.

Quapropter Clementissimè mandamus, ut præfato Ordini illa eadem jam pro decem millibus florenorum præstinata Lobkovitziana Domus, absque eo, quod nova licitationis charta affigatur, postquam idem prius ratione equivalentis cum Neo-Urbensi Magistratu aquè ac justè convenerit, ante omnes alios concedi debeat. Quod verò proximè adjacentem Kutscherianam Domum civicam concernit, cùm illa aliunde ex parte conciderit, exiguaeque sit circumferentia & pretii, civico verò possessori per hoc, si tantum pro illa premium acquirat, ille sibi aliam domum vel commoditatem iteratò emere valeat, planè nihil subtrahatur; sic dicta Kutscheriana domuncula præmentionatis Religiosis pariter pro justo equivalenti concedenda erit. Secundùm hoc vobis Clementissimè mandamus, ut vos hanc nostram Benignissimam resolutionem finè mora executioni mandetis, ac hujusmodi Ordinis Religiosis ad velociorem suæ intentionis executionem auxilium omne præstare velitis. Cum hoc Nostræ Clementissimæ Voluntati & Intentioni satis sit. Vienna die 23. Decembris Anno 1707.

III. Huic tam claræ Principis Voluntati nemo amplius ausus est refragari; omnes venerati sunt Regium Mandatum, admiratique Cœsaream in Ordinem nostrum Benevolentiam. Atque sic demum omnes difficultates conquieverunt, & diurnæ contradictiones metam hic suam, finētique habuerunt.



CA-

## C A P U T X I V.

*Pragæ situs pro novo Cœnobio condendo acquiritur.*

*Ibidem post obitum P. Joannis a Cruce SS. Eucharistiae Sacramentum collocatur.*

I. Ngredimur nunc annum post natum DEIPARÆ Virginis Filium millesimum septingentesimum octavum, lætis utcunque successibûs memorabilem, cuius totum initium sibi vendicabat cura stabiendi Domûs Pragensis. Cæsareo-Regium Decretum, quod superius recitavimus, caput erat & summa ceterorum, sed vel imprimis firma spes in DEUM, & piorum beneficentiam; ad emendas namque Domos, & easdem a solitis civium oneribus eximendas opus erat ingenti sumptu. Dictus itaque P. Joannes a Cruce se in omnes partes versabat, ut subsidia tantis expensis paria colligeret. Satageus ille vir prorsus erat & industrius, qui nihil pigrando neglexit, sed omnia temporum momenta solicite captans, nunc quædam ab amicis precariò, quædam mutuò, quædam donò, quædam sub annuo obligata censu corrogavit, ut tanto citius situm illarum ædium redimeret. Et imprimis quidem Kutscherianam domum duodecimâ mensis Aprilis ære parato coëmit. Indè cogitationes suas ad majorem Lobkovitzianam domum majore sumptu comparandam transtulit, cuius pretium ad decem florenorum millia ascendebat, quæ simul & semel ex pacto persolvenda erant.

II. Sed dum ille huic negotio expediendo vigilantissimis curis intendit, suam sensit graviter tentari valetudinem. Morbò quotidie magis ingravescente, cum facile prævideret mortem sibi imminere, ne inita circa eandem domum conventio æmulorum adhuc studiis ferventibûs dissiparetur, aut stabilitus contractus ob rerum vicissitudines vel aliam causam fors in irritum caderet (periculum enim erat in mora) vires supremo conatu collegit, ut ante obitum suum coepta molimina ad coronidem perduceret. Et favit ejus conatibus Divina Bonitas, quæ varios Benefactores excitavit, ut laboranti Patri adjutrices manus porrigerent, quos quidem honoris causâ ad posterorum memoriam impræsentiarum indicare ipsa gratitudo imperat. Hos inter principem sibi locum vendicat Celsissimus Princeps Archi-Episcopus Pragensis D. Josephus e Comitibus Breünerianis, qui Patri in hunc finem duo millia florenorum donò dedit. Reverendissimus Dominus Joannes Franchimont Generalis Sacri & militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea Stella eidem quatuor florenorum millia in sequentes duos annos absque omni censu mutuò concessit. Item Dominus Michaël Povobilus Civis Vetero-Pragensis alia quatuor florenorum millia eidem Patri in Domûs emptionem commodavit, quæ posteà pro perpetua Sacrorum memoria Conventui reliquit. His symbolis celeriter congregatis die decima tertia Iunii contractum de Lobkovitzianæ Domûs emptione subscriptis, & pacta decem florenorum millia eadem luce persolvit. Porro

N n n n 2

Solertia Pa-  
tris in subsidiis  
quærendis.Kutscheriana  
domus exsol-  
vitur.De Lobkovit-  
ziana domo  
exsolvenda  
quoque agi-  
tur.Benefactores  
veniunt in  
subsidia.Contractus  
emptionis  
subscribitur,  
& domûs pre-  
tium numera-  
tur.

cùm

1708. cùm Neo-Pragensis Magistratus pro exemptione a Civicis oneribus,

*Pro civicis oneribus Excel-  
D. Comes Co-  
loredus Magi-  
stratus satisfa-  
ctus.*

*Patris exinde  
gaudium, di-  
ctumque.  
Possessio acci-  
pitur.*

*Mis.*

*Sepultura.*

*Ortus & ad  
Ordinem in-  
gressus.*

*Studia.*

*Sacerdos.*

*Viennam ve-  
nit an. 1689.*

*Eius diligen-  
tia & toleran-  
tia.*

iisdem domibus jure municipii annexis, duo florenorum millia prætenderet, singulariter enituit pia in Ordinem Nostrum Liberalitas Excellentissimi Domini Hieronymi Comitis Coloredi, qui præter alias plures Ordini nostro præstitos favores hæc duo florenorum millia sponte pro se nobis daturum spopondit, sesequitum ad annum hujus promissæ pecunia censum obligavit, donec contractum nomen ære persoluto expunxisset. His ritè perfectis Pater Joannes tantò cordis jubilô gaudióque delibutus fuit, ut quamvis gravissimis morbi doloribus premeretur, in hæc tamen verba prorumperet: *Nunc latus moriar.* Sequenti luce cùm ipse ægritudinis molestiâ præpediretur, per substitutos Patres Domus possessionem accepit. Biduum adhuc supervixit, & die decima sexta ejusdem mensis, postquam se CHRISTO Salvatori & ejus Beatissimæ Matri devotissimè commendasset, ad Dolorosæ Matris ædem circa decimam horam noctu, omnibus Sacramentis moribundis conferri solitus, munitus inter circumstantium Religiosorum nostrorum devotam comprecationem ad beatam, ut pie credere licet, transivit immortalitatem, annò ætatis suæ octavô supra quadragesimum. Cùm nostris adhuc aptus sepulturæ locus decesset, impetrata Archi-Episcopal Consistorii facultate apud Reverendos Dominos Patres Crucigeros cum Rubea stella ad pedem Pontis die decima octava ejusdem mensis manè circa horam quintam tumulo honorificè illatus fuit, atque hoc paclô ibidem, ubi primum in urbe hospitium obtinuerat, post mortem sepulchrum & requiem invenit, cui etiam Religiosissimi illi viri solemnibus exequiis parentaverunt. Nos vero, quod instituti nostri ratio postulat, sequens elogium ejus funebri urnæ affigimus.

III. Natus est P. Joannes a Cruce in oppido Manzanares Archidiocesis Toletanæ in Hispania. Adolescens postquam Grammaticis Latinæ linguæ institutionibus operam dedisset, ætatis annorum jam viginti DEO vocante Ordinem Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum est amplexus. Absoluto tyrocinii curriculo Religionis vota professus litterarum studiis incubuit, & Pampelonæ quidem Philosophicis, Compluti vero Theologicis disciplinis animum excoluit. Interim Sacerdos ordinatus post breve tempus ad novam Ordinis nostri coloniam in Germania propagandam a Superioribus missus arduam hanc provinciam exporrecta fronte accepit, & Hispaniam egressus anno millesimo sexcentesimo octogesimo nono die decima octava Junii Viennam intravit, particeps omnium laborum, qui primis nostris Patribus in tot difficultatibus complanandis exantlandi erant. Nullis ille frangi potuit ærumnis aut contradictionum procœllis: nihil eum a cultu hujus novellæ plantationis deterruit, non frigus, non æstus, non famæ, nulla aëris intemperies, nulla viarum asperitas, ad omnia promptus & intrepidus, dum aliqua spes affulgebat Ordinis incrementa promovendi: Lætus semper & hilarius in maximis etiam angustiis & rerum difficultatibus, ut ille, si ullus alius cum Divo Paulo Apostolo dicere potuerit: *Quis nos separabit?*

*a Cha-*

a Charitate CHRISTI? tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditas? an periculum? certus sum, quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate DEI.

1708.  
Epist. ad Romas.  
cap. 8. v. 35.

IV. Ordinis munia, quæ subinde peregit, quām exactissimè implere contendit, nihilque in se desiderari passus est, quod suscepti muneri ratio requirere videbatur. Fuit Viennæ tyronum Magister, ejusdēmque Cœnobii Vicarius, ac non multò post P. Commissarii Generalis Secretarius: demum ad Cæsaream Curiam Ordinis Procurator Generalis, & primus Domus Pragensis Praefes renunciatus est. Ab omnibus tam exteris. quām domesticis & amabatur, & colebatur. Primæ Nobilitatis Magnates prudētia & religione adeò sibi demereri novit, ut cuncti eum suspicerent ac venerarentur. Postrema ægritudo liquidissimè compobavit, quanta pietate cor ejus semper flagraverit; etenim cùm semel præsentium quidam futilibūs fabellis, & inutilibūs colloquiis tempus fallere, & infirmo, nescio quod frivolum, solatium adferre vellent, ipse modestè eos coargens dixit: *de rebus loquamur spiritualibus.* Vox sanè Virō religiosò dignissima. Paupertatem tanto amore complectebatur, ut nihil ad usum suum habere sustineret, quod superfluitatem aliquam redolebat: quinimò rebūs etiam necessariis, & a Religione permisīs libenter carrebat, solitus proprium fraudare genium, quatenus ei plura supeterent, quæ in DEI gloriam & pauperum levamen converteret. Ejus animi fortitudo in superandis adversitatibus ferè invincibilibus mirificè eluxit. Testis hujus rei est Domus nostra Pragensis, cujus plantatio innumeris curarum spinis vepribusque obsepta horrebat, quas ille tamen magnâ in DÉUM Fiduciâ præter multorum expectationem feliciter evulsit. Nullam ille unquam similitatem, aut rancorem, aut aliam quamcunque animi perturbationem adversus alterum in corde suo fovit, licet ei sæpenumerò cum illis agendum fuerit, qui ejus conatibus ex professo adversabantur, atque hac ratione ostendit, quod in Sacris Proverbiis legitur: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Prov. cap. 12. v. 21.

Pietas.  
Paupertas.

Animi fortitudo.

V. Sed neque in gravissimis morbi doloribus vel minimum impatiencie signum edidit, & cùm vel maximè torqueretur, nihil aliud, quām Sanctissima Nomina in ore habuit, quibus CHRISTUM, ejusque Virginem Matrem in solatium animæ suæ advo- cavit. Omnes demum religiosi viri virtutes in ipso usque ad vitæ finem resplenderunt: unde fuere non pauci tum ex Clero, tum ex Nobilitate, tum ex populo, qui hujus viri jaēturam magnopere deplorabant. Certè Princeps Archi-Episcopus, cui ille in deliciis erat, acceptō mortis nunciō ex cordis intimo suspiravit, neque levioribūs indiciis alii mōrorem suum testatum fecerunt.

Patientia.

Luctus super eum.

Ooooo

Supre-

1708.

Exequiae.

Alter Praeses.

Fit conventio  
de confruen-  
da Ecclesia.Supplicatur  
pro translati-  
one, & SS. Eu-  
charistiae col-  
locatione.Concessa fa-  
cultate.

Suprema Justa ei persolvit ipse Reverendissimus Dominus Martinus Sacri & Militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea Stella Generalis Magister, cum omnibus Religiosis ejusdem Ordinis in Domo Hospitali Pragensi ad pedem Pontis tunc temporis existentibus. Gloriantur etiamnum Reverendi Patres illi, qui nondum aliquid a pristino suo erga nostram Religionem amore remiserunt, P. Joannem a Cruce Domus Pragensis Fundatorem inter suos esse sepultum, quod etiam ejus tumulo inscripsisse feruntur, & meritò quidem, & honorificè.

VI. Acquisitæ Domus Pragensis nuncius & Viennæ & alibi universas nostras exhilaravit propagines, sed hanc lætitiam penè obruit luctus ex evulgata simul morte Patris Procuratoris Generalis & ejusdem Domus Præsidis conceptus, velut ortus unius alterius esset occasus, aut unius nativitas mors esset alterius, ut matribus accidit in partu exspirantibus prole superstite. P. Martinus ab Ascensione Commissarius Generalis, cui curæ cordique fuit benè coepta initia ulteriùs provehere, assumptō in socium P. Conrado a Sanctissima Trinitate, qui non ita pridem Philosophiam & Theologiam fratribus prælegerat, Pragam festinavit, quò vigesima die mensis Julii pervenit, ibidemque ad ædem Matris Dolorosæ, quam nostri etiamnum incolebant, diversatus eundem P. Conradum Domus Præsidem instituit. Promiserat jam anteà Illustrissimus Dominus Joannes Ignatius Baro Putz se suis expensis nobis Ecclesiam ædificaturum, quamprimum idoneum aliquem propriūmque fundum nancisceremur, atque in hunc finem ichnographia Ecclesiae ad mentem & ideam Illustrissimi Fundatoris ab Architecto jam descripta fuerat, & approbata: undè ad decimam septimam mensis Augusti Illustrissimus Fundator cum P. Commissario Generali & P. Conrado Præside de nonnullis conditionibus convenit, quibüs assertis acta mutua subscriptio firmata fuerunt.

VII. Hæc dum aguntur, nostri interea domos recenter comparatas in eam formam redegerunt, ut non solùm commodam & Regulari vitæ convenientem habitationem præberent, verùm etiam Divino Cultui decenter peragendo locum opportunum relinquerent. Rebüs in hunc modum comparatis nostri nihil amplius cunctandum censuerunt, sed ad ipsam translationem confessim procedere decreverunt. Quamobrèm Celsissimo Principi Archi-Episcopo facti supplices rogaverunt, ut jam in propria Domo sibi Divina officia liceret peragere. Cui supplicationi postquam Princeps benignissimè annuisset, illius rei copiam a Reverendissimo Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ Consistorio amplissimè sequentibüs impetrarunt.

*Auctoritate Archi-Episcopali Ordinaria datur tenore præsentium Reverendis ac Religiosis Patribus Discalceatis Ordinis Sanctissime TRINITATIS Redemptionis captivorum in Regiam Urbem Neo-Pragensem per modum Hospitii receptis Facultas & Licentia, ut*

ut in ædibus Lobkovitzianis, ab iisdem Religiosis Patribus pretiō comparatis, & in urbe præfata stis Capellam exstrui curare, illaque perfectâ & benedictâ inibi Sacrosanctæ Missæ Sacrificium super altare portatile legere & celebrare, nec non functiones suas Religiosas ibidem peragere, uti & ad dictam Capellam, postquam fuerit exstructa, campanas appendere, & more consueto pulsari curare possint, ac valeant. Publica tamen, & frequentiori Sanctissimi expositione (præterquam in principalioribus Ordinis festis, die Dedicationis seu Patrocinii supranominata Capella) atque concionibūs e suggestu dicendis exceptis: duratura præsens Facultas & Licensia initio, donec dicti Patres Trinitarii adæquatam Fundationem ac reditus pro erectione Conventus fuerint adepti. Pragæ in Cancellaria Archi-Episcopali die 22. Augusti Annò 1708.

Daniel Josephus Maieren  
Vicarius Generalis & Officialis.  
(L.S.)

Franciscus Ignatius Lumsonde  
de Sandberg Cancellarius.

VIII. Hac Facultate obtenta nihil porrò reliquum erat, quod decretam Transmigrationem ulterius moraretur. Igitur vigesimā quintā Augusti, quæ dies utensilibus convasandis destinata fuit, nostri Admodum Reverendis Patribus Ordinis Servorum Beatissimæ Virginis MARIAE pro amicæ hactenus vicinitatis opportunitate gratias perhumaniter rependerunt, ac indè omissa quacunque solemnitate ad novam habitationem se contulerunt. Ibidem post meridiem campanarum & turricula pendentium sonitu signa dederunt sequentis Festivitatis, per omnes æquè Bohemiæ choros solemnis, quæ celebratur Festum Sanctarum Reliquiarum, quæ in Metropolitana Ecclesia Pragensi asservantur, ac religiosè coluntur. Sextā deinde ac vigesimā Augusti primō statim manè Sacellum nostrum solemni benedictione lustratum fuit, in quo ante Septimam matutinam P. Commissarius Generalis primum celebravit Missæ Sacrificium, & Sacram Eucharistiam tabernaculo imposuit. Quō factō eadem adhuc die undecim sacerdotes tam domestici, quam extranei ad aras operati fuerunt, & inter illos Reverendissimus Dominus Martinus Peinlich Sacri & Militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea Stella Supremus & Generalis Magister Pontificalibūs amictus sub exquisita musica sacrum Solemne decantavit: Admodum Reverendus autem Dominus Josephus Ignatius Haidrich ejusdem Ordinis Crucigerorum Sacerdos Bohemo idiomate ad circumfusum populum verba e superiore loco fecit. Post meridiem in eodem Sacello coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, publicæ venerationi

In novam domum migrationis.

Festum Reliquiarum.

Benedicitur Sacellum.

Prima Missa, & collatio Sanctissimi.

Sacrum solemnne.

Concio.

1708.  
Postmeridiem  
in gratiarum  
actionem fun-  
atio.

Pro nova Ec-  
clesia Primus  
ponitur Lapis.

Imaginis for-  
ma.

De ejus origi-  
ne non con-  
fittat.

Culta ali-  
quando.

Varia circa  
candem op-  
niones.

Prima opinio.

De effossione  
Imaginis.

exposito, Litaniæ Lauretanæ & Antiphona *Salve Regina* inter insignem musicorum symphoniam decantatæ fuerunt, quatenus Omnipotenti DEO Ejusque Virgineæ Matri MARIAE debitas pro tanto favore gratias persolveremus. Postea sequenti mense, tercia nimirum Septembris, Ecclesiæ structura initium sumpsit, ubi absque omni alia solemnitate assistentib⁹ solū domesticis Religiosis P. Conradus Præses primum ad fundamenta posuit lapidem, & continuò coeptum opus Illustrissimi Domini Fundatoris munificentia indiès majorib⁹ augmentis succrevit.


## C A P U T X V.

### *Noſtri Viennensis Cœnobii Ecclesia ornatur Devo- tissima CHRISTI Crucifixi Imagine.*

I. **P**rodigiosa hæc Crucifixi Salvatoris Noſtri Effigies, quæ tanto populum concursu simul ac pietate in noſtra Vienensi Ecclesia colitur, ab insigni, & in arte sua versatissimo statuario formata fuit. Magnitudo ejus ad justam hominis staturam accedit, CHRISTUMque in Cruce inclinato capite expirantem tanta venustate ac elegantiâ repræsentat, ut non solū intuentium corda pio compassionis sensu vulneret, verū etiam miros ſepenumero in animis motus excitet. Quæ autem genuina hujus sacræ imaginis origo fuerit, dicere non habeo; quis enim abdita vetustatis arcana ſatis exploratè rimetur, præcipue ſi nulla idonei Scriptoris auctoritas ſuppetat, qui ſuō testimonio rei obscuræ lucem aliquam conciliet? Iſtud duntaxat extra controversiam censetur, eam olim Cibinii ſive Hermanſtadii in Transilvania maxima religione cultam fuiffe: hanc verò piæ plebis devotionem post varias hæresum ſectas, in modum torrentis per Transilvaniam effusas, ſenſim evanuisse. Quid verò deinceps de hac venerabili statua actum fuerit, magnæ ſunt ubique tenebræ, aliis alia mordicis asſeverantib⁹. Duæ tamen ſententiæ majori plausu circumferuntur, quarum ego nunc utramque in medium proferam, poſteā verò opinionem meam ſubnectam.

II. Primæ ſententiæ assertores rem ita narrant: Cùm ſub decurſu ſæculi decimi ſexti Lutheri ſecta effreni licentiâ Transilvaniam inundasset, & iconoclaſtarum sacrilegas manus in piarum imaginum injuriam armasset, devoti quidam Orthodoxæ Religionis cultores, veriti, ne hæc Sacra CHRISTI Crucifixi Imago eadē cum cæteris ruinâ involveretur, illam tempeſtivè hæreticorum furori subduxerunt, eāmque extra urbem Cibinensem haud procul a porta S. Elisabethæ in terram defoderunt. Cùm autem poſt multos annos, nescio, cujus ædificii causâ in eodem loco humus ligonib⁹ exhauriretur, foſſores preter omnem ſpem & expectationem ſuam in hunc coeleſtem Thesaurum inciderunt; etenim dum illi bipaliorum operâ in viscera telluris altius penetrant, attonitiſ oculis manum unam prominere conſpiciunt, quam incorrupti hominis eſſe crediderant, adeò exacte artifex

opus



Domini Nostri IESU CHRISTI Redemptoris Effigies Viennæ in  
Ecclesia R.R.: Patrum Trinitariorum Discalceatorum populi accusu, devotione,  
Gratijs, Beneficijs et Miraculorum famâ ab anno M.DCC.VIII. Clarissima

Aet. I. Schmuzer sc.



opus suum ad naturæ imitationem effigiaverat. Sed cùm paulò post caput spinis coronatum detexissent, nihil amplius dubitârunt, imaginem quandam CHRISTI Crucifixi ab se inventam fuisse. Neque falsi sunt; egestâ siquidem profundiùs terrâ hæc Sacra Imago in eorum conspectum se dedit, quam interiùs cavam esse ipsa ponderis levitas arguebat. Mirabantur proinde, qui fieri potuerit, ut hæc lignea imago ( ex tilia námque sculpta fuit ) tot annis in loco humido lateret, quin prorsus computuerit, aut saltem teredinum morsibûs non pridem fuerit ablumpta. Cùm verò cernerent eam altera manu destitui, ne elegantissimo operi quidquam deesset, improbo labore illam quæsiverunt, successu tamen parùm felice, utpotè quam post multos sudores nulli reperire potuerunt. Porrò cùm illi, penès quos tunc Hermanstadii rerum summa erat, metuerent, ne hæc statua in Catholicorum manus devoluta publicæ venerationi exponeretur, eam ad Lutheranorum fanum, quod olim Cathedralis Catholico-rum Ecclesia fuit, detulerunt, ibique sollicitè occultaverunt, quam tamen sequentibûs annis Serenissimæ Dominae Elisabethæ Dorotheæ natæ Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, quæ eo tempore connubiali fœdere Excellentissimo Domino Comiti Joanni Ludovico Rabutino Generali totius Transilvaniæ Commendanti juncta erat, dictâmq[ue] imaginem a Magistratu Cibinien-si efflagitaverat, donô dederunt. Re autem postmodùm inter Catholicos evulgata, illi in eodem loco, ubi hæc Sacra Imago quondam sub terra latuerat, exiguum in forma hemicycli facel-lum excitârunt, illudque alia ejusdem Crucifixi Effigie, ad imitationem prototypi sculpta, decoraverunt, quam etiamnum quot-annis in die cinerum ducta ad hunc locum ex Parochiali Ecclesia Societatis JESU solemini supplicatione religiosissimè venerari con-sueverunt. Sic res narratur a Patronis primæ sententiae.

III. Fautores autem secundæ sententiæ negant hanc Sacram Imaginem unquam sub terra defossam fuisse, quamvis ea argumen-ta minimè producant, quæ sufficerent ad priorem narrationem, & communem traditionem refellendam. Id unum afferunt, ima-ginem supralaudatæ Dominae Elisabethæ Dorotheæ a Lutheranis traditam, non e terra effossam, sed e veteri quodam, & ligneis tabulis circumsepto loco juxta fanum illud depromptam fuisse. Ego itaque pro munericis mei ratione, dum res hæc jam propè ad typum promoveretur, ne quid intentatum relinquerem, ad elucidandam rem adeò obscuram & perplexam, facta nova in-quisitione sequens e Transilvania consecutus fui testimonium, quod pro majore aliqua præsentis materiæ claritate e Germanico idio-mate in Latinum translatum subjicio, & ita sonat: *Postquam Ex-cellentissimus Dominus Generalis Rabutinus Supremam Transilvaniæ Praefecturam hic Cibinii in sè suscepisset, & aliqua loca perlustrâisset, Ejus Excellentissima Conjux partim intellectus, partim & vidit, in magna Cibiniensi Ecclesia Saxonica multas, easque valde vetustas Ca-tholicae Religionis statuas affervari: petiit itaque ab inclito Urbis Ma-gistratu, ut, cùm Augustanæ Confessionis aſſeclæ bujusmodi imagines*

P p p p p

1708.

*una manus  
abest.*

*Occultatur.*

*Postulata do-natur Serenissi-mæ Duci,*

*Sacellum  
nu[m]c in loco  
ubi statua fer-tur effossa.*

*Publica Sup-plicatio.*

*Secunda Sen-tentia variat  
aliquantum.*

*Recens testi-monium.*

*vener-*

1708. *venerari non soleant, sibi aliquot pro honorario donarentur. In bunc finem Dominus Joannes Saxo, qui eo tempore Judicis Regii & Comitis Nationis munere functus est, ex vetusto tabulato speciosam imaginem CHRISTI Crucifixi, & duas alias Sanctorum Statuas depropmts, edsque præfatae Suæ Excellentie in die ejus onomastico donavit, quæ tanquam Devota Domina dictam Crucifixi Imaginem in suo aulico sacello religiosissime coluit, eamque postea Viennam Austriae secum asportavit, ubi illam pariter in summo pretio semper babuit (erat quippe valde insignis & pulchra statua) tandem ex bona intentione ad augendam CHRISTI Crucifixi venerationem vovit, se hanc Imaginem Reverendis Patribus Trinitariis de Redemptione capiivorum, Viennæ in Austria existentibus, donaturam, ut in eorum Ecclesia publico cultui exponeretur, quod & factum fuit, & hac statua ibidem tanquam prodigiosa Imago summa veneratione etiamnum colitur. Hoc itaque in mea vita, qui septuagesimum primum ætatis annum jam complevi, & per 43. annos in Transilvania aliisque locis varia officia a Cæsarea Majestate mibi demandata administravi, ac præsens fui in supradicta traditione hujus devotissimæ CHRISTI Crucifixi Imaginis, totiusque rei seriem probè novi, præsentibus litteris, maturò consiliè excaratis, testari volui, quas propria manu subscripsi & meo Sigillo ob-signavi. Datum Hermanstadii in Transilvania 20. Februarii 1708.*

(L.S.)

*Joannes Georgius Neinhard de Guit  
Militaris quondam ærarii Præfctus in Transilvania.*

IV. Hæc sunt, quæ in favorem secundæ sententiæ afferri possunt, integrum nunc esto cuilibet, quod magis libuerit, opinari, & credere; ego enim, ut, quod res est, candidè fatear, arbitrator hoc Domini Georgii Neinhardi testimonium primæ sententiæ nihil prorsus adversari; quamvis enim ille disertis verbis nullibi exprimat, dictam Imaginem e terra erutam fuisse, nullibi tamen id etiam negat: cùmque affirmet venerandam hanc statuam e ligneo tabulato depromptam, & Excellentissimi Comitis Rabutini Serenissimæ Conjugi pro honorario ad ejus onomaticum festum datam fuisse, dubium semper relinquit, qualiter hæc ad dictum heterodoxæ Ecclesiæ tabulatum pervenerit, quod tamen dubium prima sententia tollit, dum modum hujus rei ostendit. Fatendum tamen est secundam sententiam, quamvis recentiorem, a plerisque præferri primæ, ceu vetustæ nimis, & ambiguæ, licet ea pariter validis nitatur fundamentis. Cæterum in hac opinionum varietate, quò plus se quis torquebit, eò minus se extricabit, velut facile contingit in rebus, quas cœlare invidia, vel obliterare solet longinqui temporis vetustas. His præmissis ad pertexendum historiæ nostræ filum progredior.

V. Postquam igitur Serenissima Domina Elisabetha Dorothea, ut superius vidimus, elegantissimam hanc CHRISTI Crucifixi Imaginem Cibinii asservari didicisset, eam sibi a Magistratu illius urbis, qui ex Acatholicis conflatur pro munere donari poposcit, nihili præ faciens aurea argenteaque donaria, quæ Regio-

*Non opponi-  
tur totaliter  
prima senten-  
tia.*

*Manet du-  
biu[m].*

*Secunda præ-  
valeat prima  
sententia.*

*Pertinet  
Historia.*

Regionis Præfecturam adeuntibus aliás offerri consueverunt. Nec  
tergiversatus est Magistratus tantæ Domini morem gerere, cujus  
preces justi imperii loco habendæ erant. Executio itaque hujus  
negotii Domino Joanni Saxoni Regio Judici & Nationis Saxonicae,  
ut vocant, Comiti demandatur, qui dictam CHRISTI Crucifixi Effi-  
giem, ac prætereà alias quoque duas Sanctorum statuas (nomina eo-  
rum hucusque ignorantur) non tamen paris elegantiae ex illo loco  
contabulato de promptas lignæ arcæ imposuit, eisque in cirros pli-  
catum palmæ ramum, qualis Romæ in Dominica Palmarum a Sum-  
mis Pontificibus distribui solet, superinjecit, & arcam ab se con-  
clusam per deputatos ad Serenissimam Ducem transmisit. Ra-  
mus adjectus, quantum cognosci potuit, sacre huic Iconi in Tran-  
silvania nunquam adhæsit, id quod prolixè testantur omnes ima-  
gines hujus Crucis in Transilvania aut pietæ, aut sculptæ: Vien-  
næ tamen eadem palma Crucis pedamento infixa fuit, & ita ubi-  
que in æneis figuris ceu tessera prodigiosæ hujus Iconis exprimi-  
tur, quam vulgus imperitum, spicarum similitudine deceptum,  
prægrandem aristam arbitratur.

VI. CHRISTI Crucifixi statuā in hunc modum ad Serenissi-  
mam Ducem delatā, jussit illa confessim arcam reserari, ut de-  
sideratissimi doni conspectu avidos oculos aliquando satiaret. Ne-  
que mora: aperitur e vestigio scrinium, extrahuntur duæ statuæ  
cum ramo palmæ: ad extremum ipsa quoque CHRISTI Crucifixi  
effigies in lucem producitur. Hanc dum pia curiositate omnes  
attentè inspiciunt, vident alteram ei manum abesse, quæ res haud  
vulgari dolore Spectatores replevit. Propitiâ tamen fortunâ, aut  
si mavis, peculiari Divina dispositione inventus est Statuarius,  
qui tanta dexteritate novam manum e ligno sculpsit, ut ob insi-  
gnem artis collusionem vetus a nova ægrè discerni valeat. In-  
tegratâ hōc pactō Statuā Serenissima Dux, ut suæ devotioni cu-  
mulatiū litaret, eam aræ militaris Sacelli imponi voluit, ubi eam  
cum hospitibus & familia sua manè Missarum Sacrificiis, vespere  
autem Rosarii precibüs, Litanīis Lauretanīs, aliisque pietatis ex-  
ercitiis religiosissimè venerari consuevit; & ad augendam animo-  
rum devotionem singulis quibüsvis feriis sextis Litanias de Dul-  
cissimo Nominе JESU coram ea decantari jussit, ad quas milita-  
rem etiam symphoniam adhibuit. Accidit aliquando, ut bellicus  
quidam Præfectus primi ordinis, avitis erroribus ab adolescentia in-  
nutritus, Excellentissimum Comitem Rabutinum Generalem visita-  
ret, qui ut concinentium voces & Musicorum melos audivit, curiosi-  
tate ductus, Sacellum adivit, visurus, quid rerum ibi gereretur. Vix  
ille pedem Sacelli limini intulit, dum ex conspectu sacræ Imag-  
inis se adeò permotum sensit, ut paulò post erroneas suas circa  
fidem opiniones ejuraverit, & Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus  
fuerit, quam salutarem hominis mutationem admirati sunt uni-  
versi, nec dubitârunt, eam ex aspectu hujus prodigiosæ Iconis or-  
tum habuisse.

VII. Postquam igitur annō hujus sæculi octavō, in quem  
commentamur, laudabiliter exactâ Transilvaniæ Præfecturâ

1708.

Ramus pal-  
mæ.

Non adhæsit  
Iconi in Tran-  
silvania.

Viennæ est  
ejusdem tesse-  
ra.

Una manus  
notatur defi-  
cere.

Operæ artificis  
manus resti-  
tuitur.

Militari Sacel-  
lo imponitur.

Devotiones.

Occasio con-  
versionis ad  
veram fidem.

1708. nobilissima Princeps Viennam reverti constituisset, hanc quoque Imaginem velut proprium munus & sacram supellecilem suam secum avexit, ut eam Viennæ alicubi publicæ venerationi expōneret. Occurrabant autem menti ejus varia religiosorum hominum domicilia, & imprimis quidem templum Patrum Clericorum Regularium Theatinorum, in cuius vicinia ipsa Princeps habitabat, sed deterrebat eandem, quod Ecclesia illorum ob angustos, quibus circumscribitur, limites magnæ hominum multitudini recipiendæ par non sit, atque adeò tantum devotionis concursum, quantum ipsa desiderabat, fovere nequeat. Post varios cogitationum æstus tandem Piissima Princeps pridem alias sacro Ordini nostro addicta, a quibusdam, erga nos benè affectis, persuasa decrevit, sacram illam Imaginem in nostra Ecclesia collocare, quæ ob amplitudinem suam confertissimo etiam devotorum concursui sufficere videbatur, & ob loci opportunitatem (sita est enim in ea via, quâ Hernalsium, recolendis CHRISTI passi Mysteriis sacramentum oppidum tenditur) novâ hac pietatis illecebrâ devotorum corda ultro ad se attractura censebatur. Porrò ne Serenissima Princeps longius ab hoc thesauro suo etiam corpore abesset, statuit quotannis æstivis mensibüs palatium aliquod in nostri Templi vicinia incolere, tum ut salubrio re aura perfrueretur, tum vel maximè, ut privatæ suæ devotioni proprius crebriusque litaret, quod & sequenti æstate factum est. Vocatis igitur nostris Patribus rem proposuit, qui conditionem, perinde ac munus oblatum a DEO, grataanter, & ambabûs, ut ajunt, ulnis arripuerunt, atque eandem sacram Effigiem die sexta mensis Augusti, Transfigurationi Domini Nostri JESU CHRISTI sacra, exultabundi domum tulerunt. Non tamen sola, aut incomitata hæc sacra Imago ad nos pervenit, sed ex munificentia ejusdem nobilissimæ Benefactricis nostræ pretiosa altaris & Sacerdotum ornamenta, argentea hierotheca, & Caput S. Albani Martyris eidem pro corollario accesserunt.

*Sacellum pro ea collocanda eligitur.*

*Lib. 5. cap. 4.  
n. 4.*

*Comes Sinzendorffius altera S. Josepho extrectum jumentum removeri.*

VIII. Hoc tam insigni dono obtentò magna solicitude vellicavit animum, in quonam potissimum Ecclesiæ nostræ Sacello tantus thesaurus imposterum asservaretur. Erat inter alia Sacellum quoddam, jam a suo principio elegantissima CHRISTI Crucifixi imagine, coloribus scitissimè adumbrata, ornatum, cuius vertici supra muros sub ipsa Ecclesiæ structura examen apum infedisse diximus, quod nemo non pro fausto futurorum omne accepit. Hæc picta imago præsenti rursus anno a loco suo amota fuerat, quod ibidem Excellentissimus Philippus Ludovicus Comes Sinzendorffius, Aulæ Cæsareæ Libellorum Magister (Cancelarium vocant) ejusdem Serenissimæ Principis ex primo matrimonio filius in honorem S. JOSEPHI CHRISTI Nutritii aram erexisset, sumptu quidem haud modico, operis tamen magnificètia ejus desideriis nequaquam commensâ. Hoc itaque altare, quod a sua origine nondum totis sex mensibüs steterat, dictus Excellentissimus Comes sacræ huic Imagini cessit, simul & Sacellum, quod est in Ecclesiæ corpore primum, ejus cultui, ac per-

perpetuæ venerationi consecrari voluit, cum firmo proposito aliud, multoque magnificentius altare intra vicinum Sacellum in honorem S. JOSEPHI excitandi. Hac difficultate complanata adsciti sunt confestim artifices, qui satageis manibüs, festinatōque labore venerabili huic Iconi decentem mansionem pararent, quæ interea in quadam Cœnobii nostri cella asservabatur, ibidemque a multis, quos famigeratissimæ hujus Imaginis visendæ cupiditas, vel devotionis ardor allegerat, religiosè colebatur.

1708.

IX. Exeunte Novembri Sacelli ornatus perfectionem suam jam attigerat: Opere igitur ad coronidem perducto, tempus ipsum monebat, ut sacra Effigies quamprimum suo throno imponeretur. Ad hunc actum majore splendore peragendum triduana solemnitas indicta fuit. Sed cùm Imago a principio statim dicto Sacello imposta fuisset, a multis ægrè conspici potuit: placuit igitur eandem sub decursu hujus triduanæ devotionis in majore altari, ad omnem magnificentiam exornato, collocare, quod & factum fuit trigesimâ mensis Novembbris, in Festo S. Andreæ Apostoli, qui & in cruce olim martyrium consummaturus eximiis laudum titulis Crucem veneratus est. Hæc dies annô præsentî in feriam sextam CHRISTO patienti dedicatam inciderat, quæ etiam celeberrimæ huic solemnitati initium dedit. Increibile autem diu est, quād dense, confertimque ab ipso diei ortu usque ad noctem populus affluxerit, idque non solum ex urbe, aut suburbis, verum etiam ex oppidis octo, novemque milliaribüs Viennâ semotis, quò nimirūm fama hujus prodigiosæ Imaginis penetravit, & devotorum corda ad tam singulare pietatis spectaculum coram intuendum excitavit.

X. Prima die ad frequentissimam concionem verba fecit Reverendus P. Philippus a S. Jacobo Religiosus ex Ordine Scholarum Piarum, qui celebris tunc audiit Divini verbi Præco, nunc etiam in lucem editis concionum suarum voluminibüs, sacræ facundiæ suæ testibüs, multò celebrior evasit, cujus quidem hic sermo partus primogenitus fuit publicis typis ad posterorum memoriam excusus. Porro solemnī Missæ Sacrificio adstitit Augusta ELEONORA Imperatrix Vidua cum Serenissimis Filiabus Archi-Ducibus. Die sequenti ad vix minorem populi multitudinem e suggestu peroravit P. Lucas a Regibus nostri Ordinis Religiosus, & pro eo tempore Concionator per annum. Tertia die, quæ fuit Dominica prima Adventus, densissimo auditorio DEI verbum annunciat disertissimus Ecclesiastes Reverendissimus & Illustrissimus Joannes Baptista Otto e Comitibus de Volckra electus Episcopus Scardonensis, Collegiatæ Ecclesiae Posoniæ ad S. Martinum Turonensem Præpositus & Curio, qui demum obiit Vesprimiensis in Hungaria Episcopus. Per omnes autem harum festivitatum dies Prælati solum Infulati, & Pontificalibüs vestibüs amicti solempne Sacrificium in ara principe immolârunt, lectissimis musicis & gratissimo concentu admodulantibüs. Hac demum tertia die Augustissimus JOSEPHUS I. Romanorum Imperator cum Augustissima WILHELMINA AMALIA

Functiones  
per triduum.

1. Decemb.

2. Decemb.

Qqqqqq Impē-

1708. Imperatrice Con sorte, CHRISTUM Crucifixum veneraturus, a meridie ad nostrum templum processit, quo præsente decantatæ sunt Vesperæ & Lauretanæ Litanie. Tertius harum festivitatum dies, sicut reliquos dignitate ac magnificientiâ superavit, ita populi devotionem adeò inflammavit, ut ad octavam usque noctis horam Ecclesia nostra hominibûs ferveret, & cœlesti quodam visco piorum corda sibi agglutinaret. Tandem omnibus exesse jussis, foribusque obseratis, sola Serenissima Principe Benefactrice cum paucis Nobilibus Matronis præsente, adstantibus quoque plerisque nostris Religiosis sacra hæc Imago a majore ara sublata, & in proprio facello collocata fuit, ubi etiamnum miris gratiis & charismatum donis refulget.

## C A P U T XVI.

### Referuntur quædam beneficia apud sacram CHRISTI Crucifixi Imaginem a DEO impetrata.

Ara ad modestiam composta.

Duo tractatus de concessis gratiis editi.

Cultrō personatus oculus sanatur.

Aliud simile.

I. P rimitiva aræ structura tumultuari quidem opere consurserit, quæ tamen plus modestiæ, quam splendoris habuit, prout in præsenti figura videre licet. Fors & hanc noscere absentibus vel posteris non ingratum erit, cum similia (ut quoque hic cernimus jam factitum) piorum liberalitate sèpè magnificentiore induant formam. De obtentis gratiis & beneficiis (sive miracula, sive mirabilia indigitare velis, id ego nihil moror) duo in lucem prodiverunt tractatus, quorum alter anno hujus saeculi decimô tertio, alter verò, succrescente mirabili numero, anno vigesimô quintô typicis formis evulgatus fuit, in quo, ut veritati sanctius litaretur, pleraque recensentur imperatorum beneficiorum circumstantiæ, expresso etiam personarum nomine, patriâ, sexu atque conditione, ut proinde nemo veritatem illius narrationis jure in dubium revocare queat, præsertim cum liber ille ipsis etiamnum superstribus conscriptus fuerit, qui beneficiorum participes, vel testes rem omnem sponte suâ sub jurisjurandi religione confirmaverunt. Nos verò de benè multis prima solummodo quæ majore hominum plausu excepta fuerunt, ad honorem Domini Salvatoris nostri, quam brevissimè delibabimus, ne hoc opus in nimiam molem excrescat.

II. Infans trimulus cultrum manu tenens, ludensque cecidit, & ferrō in pupillam adactō oculum unum sibi perfodit. Mater ad conspectum immedicabilis vulneris perterrita CHRISTO in Cruce Salvatori nostro infantem devovet, & confessim oculus amissum lumen tam perfectè recuperavit, ut læsō non minus viderit oculō, quam alterō sanō; a vulnere quoque citò sanatus fuit.

III. Huic & illud est simile: mater, cum intricatam quandam ligulam in corpore suæ prolis resolvere vellet, nec tam facile posset, ac desideraverat, compendiō usura cultellum arripuit, tantaque festinatione opus præcipitavit, ut acie a lubrico loco

loco exerrante cultellus impetu mulieris per nasum infantis ad dexterum ejus oculum penetraverit, & miserrimum pusionem gravissimè sauciaverit. Tam funesto casu attonita genitrix ad nostrum Crucifixum Dominum mentis oculos convertit, & proles mirabiliter sospes evasit.

1708.

IV. Filia octennis forlices gerebat in manu, quas dum improvidè circumagit, earum cuspidibūs proprium oculum sauciat: coaluit quidem vulnus tenui pelliculā utcunque obductum, sed oculus suo vigore privatus nullum deinceps lumen admisit. Mater puellæ, cùm observaret, damnum istud nullo humano medicamine resarciri posse, ad CHRISTUM Crucifixum, qui illuminat mirabiliter a montibus æternis, munus defert, eidémque filiolam suam devotis precibūs commendat. Ut se domum retulit, magna sua consolatione filiam utroque oculō videntem conspexit.

Excavat  
rurus videt,

Esal. 75. v. 5.

V. Quidam conjuges ideo affligebantur, quòd, licet nulli industriae parcerent, aut laboribus, res tamen familiaris quotidiè magis pessumiret, & ipsi ad incitas ferè redigerentur: diaboli fascinum suspicati ad CHRISTUM Redemptorem se convertunt opem implorantes: quinques in honorem ejus vulnerum, dum Missæ Sacrificium peragi curant, cœlestem benedictionem senserunt, opibūsque temporalibūs aucti CHRISTO Crucifixo suam prosperitatē etiamnum in acceptis referunt.

Quibus res fa-  
miliaris pe-  
ssimbat, opib-  
ūs augentur.

VI. Nobilis quidam puer præsentibūs aliis sclopō manuali ludebat, ignarus eundem pyrio pulvere ac glande gravidum esse. Juvenili deinde levitate actus sclopum in transeuntem mulierem nugaciter convertit, ut meticulosam panico quodam terrore percelleret. Sed ecce tibi! dum rotam igniariam solvit, excussæ scintillæ in sclopi fistulam penetrârunt, succensōque pulvere globulum in mulierem evibrârunt. Mulier in maximis angustiis deprehensa manus pectori admovit, sesequæ CHRISTO Crucifixo impensè commendavit. Et O! rem mirabilem, plumbea illa sphœrula manum quidem conterratae fœminæ impetiit, sed tanquam æreum quandam mürum attigisset, absque ullo mulieris documento innoxius resilivit, non sinè stupore omnium præsentium, præfertim periclitantis fœminæ, quæ hōc prodigiō mortem evasit.

Mulier a nece  
præservatur.

VII. Senecio nonaginta annorum apoplexiā tactus, repente corruerat, quem ob graviorem jam ætatem nemo non proximè moriturum credebat, ut circumstantes omnes de sepulchro magis, quam de parandis pharmacis cogitaverint. Verū ille, mox ut ad se nonnihil redivit, cœlestem Medicum imploravit, pollicitus se munusculum aliquod ad altare nostri Crucifixi delarum, si præsentissimum hoc mortis periculum effugeret. Neque mora: hōc votō emissō sensuum usum recuperavit, & in æstate adeò devexa perfectè convaluit.

Apoplexiā ta-  
ctus sanita-  
ti restitu-  
tur.

VIII. Filia septennis in glacie aliquando incedens ejus lubricitate supplantata cecidit, suique lapsūs calamitatem duplī unius pedis fracturā germinavit. Afflictus genitor pro dilecta filia

In duobus lo-  
cis fractus pes  
confanatur.

1708. precibūs a CHRISTO Crucifixo efflagitavit opem, atque hac unicā medicinā filia ejus absque ullius chirurgi operā læsi pedis incommoda profligavit perfecta incolumentate recepta.

*Arthritide laborans bis fatur.*

IX. Mulier diu arthritide laboraverat, quæ nuncupatō in suis doloribus ad CHRISTUM Crucifixum votō celeriter convalluit. Sanitati restituta voti sui impletionem sūsque déque habuit. Sed in poenam peccati redeunte paulò post arthritide, illa serio ad mentem redivit, agnitàque mali scatebrā votum suum renovavit, atque hōc factō sanitatem altera vice recepit. Dedit itaque socordi mulieri vexatio intellectum, quæ ut secundō se a doloribus liberam sensit, votum quām celerrimē persolvit.

*In Danubium ruens evadit.*

X. Lotrix fascem eluendorum linteorum secundū ripam Danubii lavans incautē cum linteis in fluvium labitur. Hic illa de vita magis quām de linteis sollicita cum fluctibus anxiè luctabatur. Sed cū auxilium CHRISTI Crucifixi invocasset, & ipsa aquarum vortices evasit, & salva linta ad litus extulit.

*Acum deglutiens eandem tussi regurgitat.*

XI. Filiolus cujusdam, sesquiannum natus, acum ore voluntans eundem glutiverat. Acus illa infesta cuspidē carnem penetrans pueri gutturi transversim inhæsit: mater de periculo anxia, cū nullum remedium malo avertendo excogitare posset, CHRISTUM Crucifixum suppliciter invocat, tanta pueri utilitate, ut is confessim tussiverit, atque hoc suo tussitu lethiferam acum mirabiliter excreaverit.

*Cæcitas sublata.*

XII. Alius infans quinque jam diebus oculorum lumine destitutus, tandem prorsus cæcus evasit. Mater afflita, ut miseræ proli auxilium ferret, a CHRISTO Crucifixo auxilium poposcit, & infans non sinè maximo matris solatio pristinum oculorum usum recepit.

*immedicabile vulnus in oculo sanatur.*

XIII. Altera filiola septennis, dum cultellō quidpiam operatur, ejus mucrone oculum incautē sibi confixit. Chirurgi desperatam opem curámque arbitrabantur, atque adeò ne manum quidem irreparabili malo admoveare volebant. Mater cū vidisset nullam spem in humanis medicis superesse, ad cœlestem Archistrum confugit, sauciámque filiolam suam ardentissimis precibūs CHRISTO Crucifixo commendavit. Tulit illa sanè brevi suæ devotionis fructum; filia siquidem ejus post modicum tempus oculi incolumentate donata fuit, remanente tamen stria aliqua sive tenui cicatrice in vulneris signum, quæ verò oculum a suo munere nihil impedivit. Rem adeò stupendam multi præsentes observavimus; & cultellus in monumentum hujus prodigiī aræ appensus fuit.

*Enterocelicus ab hernia liberatur.*

XIV. Enterocelicus quidam magnâ vî decidentibûs visceribûs vehementissimos sustinuit corporis cruciatus, ut adstantes eum protinus exspiraturum arbitrarentur. Ille inter dolores ad CHRISTUM Crucifixum mentem elevat, medelámque exposcit. Hōc factō viscera propriis manibûs alvo reposuit, atque hōc solō remedio vim inimicam minacis herniæ profligavit; ab illo siquidem tempore ruptura perfectè coaluit, infirmus autem deinceps illō morbō nunquam amplius molestatus fuit, ut ipse in sacro

sacro pœnitentiae tribunali asseverantissimè testatus est, dum in 1708.  
nostro Templo DEO pro collato beneficio gratias agens promis-  
sam devotionem persolvit.

XV. Mulieri secundò parturienti ulcus ingens collo insede-  
rat, cui pellendo nemo medicam manum ausus est admoveare, ut  
in rebus desperatis usuvenire consuevit. Mentem itaque suam  
ad CHRISTUM Crucifixum convertit, ejusque ope implorata,  
nescio, quō geniō somniare sibi visa est, ut primo occurrenti chi-  
rugo tuber curandum committeret. Obvium autem habuit  
quendam imperitum medicastrum, qui compendiō usurus ulcus  
carneum a læva aure in collum desidens abscidit, simūlque duas ve-  
nas totidēmque nervos inexperta manu resecuit. Patuit inde ma-  
gnus sub mento hiatus, ex quo tanta vis sanguinis profluxit, ut  
per triduum nullō remediō non adhibitō sisti potuerit. Ægrotā  
mulier, cùm se se inauspicatō hujus chirurgi consiliō ad extremā  
redactam vidisset, parvam quandam imaginem nostri Crucifixi  
Domini arripuit, eāmque grandi in DEUM fiducia horrendo vul-  
nери admovit. Fecerat hoc illa, & confestim sanguinis fluvius ex-  
aruit, mulierque meliusculē habere coepit; imò & post paucos dies  
integre consanata fuit. Quamobrem ad Ecclesiam nostram gra-  
tias actura gaudens se contulit, & in memoriam accepti beneficii  
pictam tabellam, hunc casum referentem, Crucifixi tholis appendit.

XVI. Apostema mulieri natum in capite ad lævam gingivam  
suo pondere subsedit tanta vicinarum partium infectione, ut fini-  
stra gena eadem tabe suppuraverit. Nullis medicamentis quidquam  
proficientibūs CHRISTUM Crucifixum devotis precibūs invoca-  
vit. Nec pœnitendo successu; pars enim ossis a læva gingiva se  
ultra, & absque patientis dolore amovit, in cuius locum cartilago  
succrevit, quod in muliere adulta medicis paradoxum videbatur.

XVII. Noxia pustula in oculo pueri suborta eundem per  
duos menses, ad unius oculi cæcitatem damnavit. Mater filium  
CHRISTO Crucifixo ad nostram Ecclesiam devovet, & extem-  
plò puer læsi oculi tenebras amisit, pristinūmque lumen & visum  
cepit.

XVIII. In hippodromo Academicō Statuum Inferioris Au-  
striæ Viennæ propè Cœnobium nostrum adolescens de scalis præ-  
ceps aëtus inverso capite a trium orgyiarum altitudine in terram  
decidit, sed quod in ipso lapsu se CHRISTO Crucifixo commen-  
dasset, omne periculum evasit, nullūmque ex hoc casu damnum  
acepit.

XIX. Puella totō jam quinquenniō epileptica distorto fre-  
quenter ore suam linguam dirè morsicabat. Hæc utprimū  
CHRISTO votum nuncupavit, ab hujusmodi affectione deinceps  
immunis fuit.

XX. Infans inversis brachiis ex utero materno prodixit. Pa-  
rentes suæ prolis calamitate afflitti monstrosum partum CHRI-  
STO Crucifixo precibūs commendarunt, & brachia ad naturalem  
situm citò rediverunt.

XXI. Contractis membris alter paralyticus decubuit, cui ad  
Rrrrr malorum

ulcus in collo  
Crucifixi Ico-  
ne applicata  
fanatur.

In apostemate  
recedente offe-  
cartilago sus-  
crevit.

Puer mono-  
culis visum  
recipit.

Altum decia-  
dens immu-  
nis periculū.

Epileptica sa-  
natūr.

Monstro-  
partui brachia  
ad naturalem  
situm rede-  
unt.

Paralyticus  
fanatur.

1708.

malorum cumulum oculorum cæcitas accessit, quæ ei quatuordecim diebus videndi facultatem eripuit. Hic itaque cum nullum in terris remedium inveniret, ad CHRISTUM Crucifixum magnâ fiduciâ confugit, a cuius clementia celerem duplicitis mali medelati retulit, oculorum nimirum lumen, & membrorum incolmitatem. Quibus beneficiis acceptis lætus ad nostram Ecclesiam convolavit, ut Divino suo Medico debitas gratias persolveret.

Ulcus in naso  
sanatum.

XXII. Visitur in facello ejusdem sacræ Iconis quadam tabella, in cuius argentea lamina sequentia verba leguntur: *Ex voto de ulcere in naso sanato buic Crucifixæ Humanitatis Christi Effigie obtulit anno 1711. prima Junii F. W. D. D. W. L. B. D. W.* Id est: *Franciscus Wilhelmus Dominus de Wolffstball Liber Baro de Walterskirchen.*

Haec beneficia  
in primis ob-  
tenta.

XXIII. Manum nos de tabula amovere cogit ipsa mirabilium multitudo: Notandum est autem recensita beneficia in primo statim triennio devotis hujus sacræ Imaginis cultoribus collata, jurejurando ut plurimum confirmata fuisse, non, quod sub ejus temporis decursu plura hujus sortis beneficia impetrata non fuerint, sed quod nos brevitatis studiò paucula duntaxat e plurimis aliis huic nostro operi inserere voluerimus. Hic autem gratiarum torrens inexhausta scaturigine etiamnum Viennam inundat, & innumeris favoribus devotorum corda alluit, qui fideliter in commentaria referuntur; utinam majore diligentia id fieret.

Signa benefi-  
ciorum.

Quantâ porrò beneficiâ Divinissimus Salvator noster eos prosequatur, qui illum coram hac sacra Imagine invocant, prolixè testantur innumeræ tabellæ, grallæ, aurea, argenteaque munera, gemmis etiam distincta, varia periculorum instrumenta, aliisque anathemata, quibus Ecclesiæ nostræ parietes densè obteguntur. Id tamen multò clariùs ostendit populorum studium & frequētia, qui non solum ex urbe ac suburbis omnibus, sed etiam ex dissitis oppidis, pagis, vicisque magna devotione ad hujus sacræ Imaginis venerationem turmatim confluunt salutaria animæ suæ remedia quæsunt. Neque mirum; hic enim inveterati peccatores ad pietatem & pœnitentiam emolliuntur, veniam delictorum efflagitant, & consequuntur. Verbō: nulla ferè est infirmitas, aut calamitas, adversus quam hic imi, summique non postulent præsidia, impetrant remedia, & saluberrima sibi solatia obtineant.

## C A P U T XVII.

1709.

*Cæfareo-Regia Protectione nostrum Posoniense Cænobium ab ingrata translatione liberatur.*

Hyems solito  
rigidior.

I. **A**nnum auspicamus a Dominico CHRISTI Redemptoris nostri Natali millesimum septingentesimum nonum, sub cujus exordio non solum Aquilonares Provinciæ, verum etiam Regna mitiori cæteroquin cœli climati subjecta tantam nivium multitudinem exceperunt, tantoque frigore inhorruerunt, ut parem hyemis inclemantium etiam senibüs seniores nunquam se

ex-

1709.

expertos fuisse testati sint; gelu enim adeò invaluit, ut ejus violentiâ perierint altilia domestica, volucrèque silvestres, cervi, leporès, aliâque animalia sînè numero. Arbores quoque passim radicis exsiccatae sequenti vere nullum produxerunt viorem. Agrorum tamen ubertas frugum geminavit proventum, & vites in vineis benè obtectæ sub nivibus nulla prodiderunt frigoris incommoda: contra verò ex nobilioribus quibusvis hortorum arbustulis paucæ evaserunt, quia adversus gelu non sufficienter præmunitæ fuerunt, ideoque ficulnearum, limoniorum, citrino-rum & aureorum pomorum in vere secuta est exarescente cum ramis trunco dolenda strages, cædésque.

II. Sub hujus anni principio nostros Posonienses alia quædam, & ipso frigore gravior torsit vexatio, quam sequens causa peperit. Posonii in suburbio extra & propè civitatis portam S. Michaëlis, quam etiam Hungaricam dicunt, tria sita sunt cœnobia, a se invicem haud procul semota, e quorum numero nostrum etiam censetur, quod urbi propriùs accedens medium inter alia duo locum occupat, & ob situm eminentiorem super reliqua assergit. Hanc loci prærogativam cùm aliqui non satis æquis oculis intueri possent, totis viribûs contenderunt, ut nostrum cœnobium ad aliam suburbii partem, Danubio vicinam, transferretur, quatenus illius loci incolæ propinquum etiam aliquod tempulum haberent, & ità hæc tria monasteria longius ab se invicem separarentur. Rem sanè miram! tria reperiebantur in illa vicinia religiosorum cœnobia, quorum aliis in suo statu relictis tota procella in nos incubuit, quamvis nostri postremi non fuerint in illo situ eligendo. Accedebat præterea aliud grave detrimentum, quod ædes illæ, quas tunc incolebamus, magnô a nobis comparatæ sint pretiō, plurimæque in earum reparationem expensæ profusæ: nunc autem cum jactura tantorum sumptuum, in restaurationem hujus domûs erogatorum, necessitas nobis, si Superis placet, imponebatur totum fundum & ædificium levî aliquod, & impensis factis multò inferiore pretiō vendendi. Verùm rationes istæ, quæ nos multùm angebant, apud adversarios pondus nullum habuerunt, qui obfirmatis animis nostri Cœnobii translationem unicè urgebant, quantovis id etiam nostrô damnô fieri deberet.

III. Hæc illi dum machinantur, & ut est in proverbio, rationes sînè hospite ineunt, nostri aliis auxiliis destituti, quatenus vim hujus tempestatis a suis cervicibus amolirentur, ad Clementissimum nostrum Imperatorem, tanquam Regem Hungariæ con-fugerunt, eidémque damna & incommoda ex hujusmodi translatione vel remotione Ordini suboritura suppliciter exposuerunt. Benignissimus Cæsar, cui res nostræ semper cordi fuerant, nostrisque nullo præter fas gravamine onerari volebat, suam Protectionem nobis liberaliter addixit, atque in nostrum favorem ad Cardinalem Saxoniae Archi-Episcopum Strigonensem sequentes litteras, nisi Cæsareo-Regium Protectionis Diploma nominare malis, expedivit:

Nostrî cœnobii Posoniensis translationis urgetur.

Translatio  
impeditur.

1709.

## JOSEPHUS.

Casparis Epi-  
stola.

Reverendissime in Christo Pater, & Serenissime Cognate Nobis sincerè addicte. Religiosi Patres & Fratres Ordinis Discalceatorum Sanctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum in Libera ac Regia Civitate Nostra Posoniensi degentes, querulosè representarunt Majestati Nostræ; quod licet iidem superioribus annis & temporibus per Reverendissimum quondam Leopoldum Cardinalem a Kollonicz & Archi-Episcopum Strigoniensem in prefatam civitatem nostram Posoniensem introducti, ac per eundem etiam Auctoritate Metropolitana in perpetuum stabiliti, ac ipsorum Residentia inter cetera ejusdem civitatis Monasteria, cum omnibus Gratiis, Privilegiis & Exemptionibus tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alii Conventus de jure, vel consuetudine gaudent, & potirentur, computata, connumerata & tenore certarum litterarum Fundationalium eatenus emanatarum adscripta fuisset, superindeque benignam etiam a beata recordationis Domino olim Genitore & Praedecessore Nostro Romanorum Imperatore & Hungariae Rege LEOPOLDO obtinuissent confirmationem, ac in ejusmodi Fundatione, Residentia, imò pro erigendo conventu acquisitis etiam medio tempore nonnullis domibus & fundis quietam & imperturbatam habuissent possessionem, nihilominus prater omnem spem his recenter evolutis diebus per nonnullos Religiosos aquè ac Seculares coram dilectione vestra denominandos turbari, inquietarique coepissent, verentürque, ne fors majora adhuc incommoda, & impedimenta, damnaque subire cogantur, supplicantes Majestati Nostræ humillimè, quatenus eosdem penè ipsorum fundationem, benignissimumque prælibati olim Domini Genitoris Nostri Diploma superinde emanatum non solum clementissimè manuteneret, verum etiam firmius stabilire & illegitimè divexari, impediri ac turbari non admittere dignaremur. Quorum Nos demissâ Instantiâ clementer exauditâ, siquidem eosdem præviò modò in prefatam civitatem nostram Posoniensem introductos, fundatos, & Regia etiam Authoritate stabilitos benignè perceperimus, ac, tum ob hoc, tum verò benignè consideratò etiam ejusdem Sacri Ordinis non modò piò & salutari, quam Christianam erga proximum in redimendis, utpotè, & ex Turcarum dira captivitate eliberandis misericordis captivis, charitatem luculenter remonstrante, ac ideo ad publicum etiam bonum utili & Sancto Instituto, eosdem Patres, consequenter Sacrum Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS de-

Redem-

1709.

Redemptione captivorum Ordinem in sua Fundatione & Residen-  
tia Posoniensi clementer manutenere & conservare, immo firmius sta-  
bilire cupientes, omnesque eorundem illegitimas impeditio-  
nes, turbations, & per quoscunque intentandas inquietationes præscindere,  
& præcavere, emersas autem quasvis controversias pro justo &  
a quo accommodari, complanari & determinari facere volentes, Re-  
verendissimam Paternitatem & Serenitatem Vestram hisce benignè  
requirendam esse duximus, quatenus pro sua Primali & Ordina-  
ria Authoritate, cui nimur Religiosorum quoque protectio com-  
petit, capta præprimis a prefatis querulantibus respectu suorum im-  
peditorum & turbatorum plenaria informatione, accersitisque de-  
mum in sui presentiam & dissidentibus & cointeressatis Partibus,  
emersas quasvis inter eosdem controversias, & ne fors occasione do-  
morum & fundorum per prefatos Patres comparatorium, aut alias  
etiam seu a Religiosis, seu Secularibus motas difficultates audire  
& examinare, & siquidem fieri poterit, eosdem accommodare &  
complanare, ac pro benigna ulteriori superinde dispositione Nostra  
Nobis genuinè referre velit eadem Reverendissima Paternitas &  
Serenitas Vestra. Quam Nos Gratia Nostrâ Cæsareo-Regia beni-  
gnè & jugiter complectimur. Datum in Civitate Nostra Vienna  
Austriæ die 30. Januarii Anno Domini 1709.

IV. Persuaserant sibi jam multi, domum nostram Posonien-  
sem celeriter sub hastam missum, & nostros citò in alium locum  
relegatum iri, sed adveniente hoc Regio mandato exinde ubique  
mirum silentium. Non tamen desistebant quidam nostros tum  
verbô, tum scriptô insectari, & apud credulos suis delatiunculis,  
quibus bellè admodum noverant colorem sive fucum inducere, sar-  
casticè traducere: alii nihilominus, quibus sensus erat acutior, &  
ingenium non ita pingue, hujusmodi sañas indignè ferebant, passim-  
que dictitabant: Patres Trinitarios a Cæsare amari, eumque haud-  
quaquam permisurum, ut ipsis invitîs gravius quidpiam in eos  
statuatur. Res tamen quotidianis comperenditionibus in lon-  
gum protracta fuit, ut proinde multi de bono eventu subdubita-  
rent, aut certè ancipites, suspensique rei exitum opperirentur.  
Die vigesima tertia mensis Februarii Excellentissimus Philippus  
Ludovicus Comes Sinzendorffius Aulæ Cancellarius ad Eminentissi-  
mum & Serenissimum Cardinalem de Saxonia Strigonensem Ar-  
chi-Episcopum litteras dedit officiorum plenissimas, quibus signi-  
ficavit, Cæsari & Aulæ Ministris gratissimum fore, si Patres Tri-  
nitarii Posonienses in suæ possessionis jure protegerentur; præ-  
terquam, quod Clementissimum Cæsaris Rescriptum in favorem  
eorundem Patrum idem commendaverit, cui vel maximè defe-  
rendum sit, se suam etiam ad hunc effectum impetrandum inter-  
cessionem adjicere voluisse, pollicitus, se ei favores, Ordini

Ad Cæsarię  
Rescriptum  
varia animo-  
rum mutatio.

comes  
Sinzendorff-  
ius causa no-  
stra protec-  
tionem com-  
mendat Cæ-  
sariali.

1709.

*Congregati in  
favorem no-  
strum resol-  
vunt.*

Trinitario concedendos, in acceptis relaturum. Tandem die nona mensis Martii, quæ in Sabbathum incidit ante Dominicam *Lætare*, utriusque partis Religiosi & Sæculares, nostris adversantes, in Archi-Episcopalem Curiam convocati sunt, ut res tota decideretur. In Synedrio consedèrunt duo Archi-Episcopi, Strigonensis nimirum & Collocensis, atque alii diversarum Ecclesiarum Episcopi, Praepositi & Canonici. In hoc tribunali causa nostra multis ultro citrōque rationibūs ventilata fuit: ast post lectum Cæsareæ Regiae Majestatis Rescriptum sententia in nostræ Domûs favorem prodivit, nemine contra hiscere auso, & sic dimissa fuit concio. Quid verò deinde (ut in Rescripto jubebatur) responsum fuerit Imperatori, cùm ad nostram notitiam non pervenerit, nihil de eo referre valemus.

## C A P U T XVIII.

### *Nona Captivorum Redemptio sumit initium, ejus iter in Valachiam.*

*Ut tempora,  
sic historia  
varian-*

*Utilitas ha-  
sum vicissitu-  
dinem.*

*Plinius in Pa-  
negyri.*

*Opes Redem-  
ptionis suffi-  
cientes.*

I. **N**onam nunc in serie Redemptionem litteris exequemur, quæ licet ob nominis parilitatem eandem cum cæteris faciem præferat, multum tamen eventuum varietate ab aliis dissidet; licet enim Redemptiones nominis communione inter se conveniant, diversis tamen vicissitudinibūs fortuitò emergentibūs ita alterantur, ut dissimili eventu in causis similibus semper prodeant inaudita, unde continuè nova sumuntur rerum experimenta, iis lectrū perquam utilia, qui hujusmodi negotia deinceps sunt tractatur: quamobrem prospera æquè ac adversa, quibūs hujusmodi expeditiones mirificè sèpè temperantur, non perfunctoriè sunt recensenda; præterquam enim quod Lectorem velut in specula constitutum, & ex alto laborantium Patrum Redemptorum pericula despectantem, insigniter oblectent, erudiant etiam, ut si in ejusmodi rerum tractatione eadem illi, aut similia occurserint, animum non despondeat, nec ob improvissum earum assultum conturbetur, sed cautè omnia disponat, & antecessorum suorum exemplis instructus adversantia quævis sapienter propulsare, aut in rem suam convertere discat; quotidiana siquidem experientia ostendit verissimum esse, quod scribit Plinius: *Habet has vices con-  
ditio mortalium, ut adversa ex secundū, ex adversis secunda nascantur.*

II. Redemptioni præsenti, cui nunc describendæ stylum admovemus, plura se se impedimenta objecerunt, quæ deinde eidem præter expectationem celerius ad desideratum finem perducendæ obstetricata fuerunt. Opes Redemptionis ex subsidiis in Augustana & Gurensi Diocesibus pro captivorum eliberatione collectæ, tum etiam industria P. Josephi a Santissimo Sacramento Redemptoris corrogatae post ultimam expeditionem benedicente Domino ita jam accreverant, ut octavæ Redemptionis facultates aliquantulum superarent, ideoque P. Redemptor firmiter jam constituerat anno præcedenti hujus sæculi octavō sub finem mensis Julii vel certè

certè Augusti iter in Turcicas ditiones auspicari: credebatur enim post ultimum Generalem Ordinis Conventum in Redemptoris officio confirmatus fuisse, quia ob interceptum Hispanicō bellō litterarum commercium, alter electus adhuc ignorabatur. Sed postquam eodem anno die quinta mensis Maji Epistolæ, ab Ordinis Majoribus in Hispania scriptæ, Viennam pervenissent, tunc demum innotuit anno præcedente, id est, septimō hujus saeculi, die vigesima quinta Junii, in Definitorio Generali electum fuisse Redemptorem P. Joannem a S. Felice, quem eidem P. Josepho ob afflictam valetudinem in nuperna Redemptione succenturiatum vidi-  
mus. Hoc nunciō acceptō P. Josephus, qui munus Redemptoris totō ferè decenniō in difficillimis temporibus laudabiliter sustinuerat, postquam tres numerosas Redemptions, quarum duas ipse per se, tertiam verò propter causam superiùs dictam per substitutum sui muneris Vicarium in finem deduxisset, ac quartam jam appararet, eidem Patri Joanni die quinta Maji anno hujus saeculi octauo laboriosum cessit officium, soli DEO, suèque saluti spirituali deinceps victurus, atque moriturus. Hanc ille missionem tanquam vir ætate grandævus impendiò sibi est gratulatus, ut olim apud Famianum Stradam alter quidam miles emeritus, cùm vidisset supremis componendis rationibus inter vitæ negotia & mortis diem spatiū sibi intercedere.

III. P. Joannes a S. Felice Redemptor eodem illō anno, nimirum octavō, totā quidem nervorum contentionē in id incubuit, ut pia sui antecessoris molimina quantocyūs in effectum deduceret, verumtamen post crebras consultationes luculenter apparuit, Redemptionem hanc in aliud tempus esse differendam, quòd bellum eō anno in Hungaria acriùs recruduisset, Cæsareique Ministri in Comitiis Posoniensibus nullā industriā fluctuantis Regni motus componere valuissent, ut proinde exulceratissimis illis temporibus nulla via per Hungariam tutò pateret. Iisdem malis conflictabatur Polonia, quæ ipsa intestinò bellō miserè laniabatur: per Styriam verò & Croatiam in Bosniam aliásque Turcarum regiones penetrare æquè inconsultum videbatur, cùm circumvolantum hostium manipuli fœdas depopulationes suas latè proferrent, suisque excursionibūs per omnes vicinas Provincias grassarentur. Croatia præterea latronibūs infesta nunciabatur, quorum insidiis Redemptionis opes exponere aut extremæ insanæ, aut temeritatis opus fuisse. Nulla proinde via huic expeditioni idonea vel secura remanserat, nisi P. Redemptor longissimo circuitu & immensis sumptibus Venetas proficiisci, & per maria Adriaticum, Ioniū, Ægeum & Propontidem Constantinopolim navigare voluisse, a quo tamen consilio itineris prolixitas nimium deterrebatur: sed quamvis etiam istud tentasset, non mitius periculum adiisset, cùm inopinatus eo tempore eventus Viennensem & Byzantinam aulam inter se commiserit. Res ità contigit: Ketzke-  
meti, quod est oppidum Hungariæ, celerabantur anniversarie nundinæ, ad quas ingens multitudo non solum indigenarum, sed etiam Turcicorum mercatorum confluxerat. Rasciani nonnulli,

1709.

Alter electus  
Redemptor.P. Josephus  
per decenni-  
um Redemp-  
tor. Ejus Re-  
demptions.Lib. de ielu  
Belgico ad fi-  
nem anni  
1555. pag me-  
bi 15.Annō 1708.  
non erat secu-  
rum in Tur-  
ciam profici-  
ci varijs de  
causis.Rasciani an-  
no 1708, spo-  
lliant Ketzke-  
meti Hunga-  
ros & Turcos

1709.

qui Cæsari militabant, pinguem prædam odorati, ut est gens rapinarum avidissima, clanculum inter se coiverunt, sesequi invicem spe opulentorum spoliorum animantes, oppidum illud, Cæsaris hostibus alioquin devotum, diripere decreverunt. Neque segnius egerunt, ac conspiraverant; factò namque agmine absque ullo duce tumultuarie, sola avaritia vexillum præferente, in mercatores sui maximè securos irruunt, mercium tabernas subvertunt, diripiunt, resistentes indiscriminatim trucidant, & patra multorum cæde spoliis onusti equorum perniciitate ante noctem evadunt. Hac tumultuaria invasione præter Hungaros multi etiam negotiatores Turcici spoliati, ac interempti fuerunt, cuius rei fama Byzantium delata gravissimas excivit querelas ob violatas tam atroci facinore inducias & juratæ pacis sanctitatem crudeli lanenâ protraitam. Varii ex hac Rascianorum inconsulta temeritate suborti sunt motus animorum, Porta Ottomanica eos apud Aulam Cæsaream non tantum repetundarum postulante, sed etiam ad commeritas poenas depositante. His per omnem regionem vulgatis P. Redemptor opus plenum aleæ judicavit in taliterum statu Constantinopolim proficisci, ne Turcæ superiore clade irritati Redemptionis facultatibus violentas manus injicerent, easque repressaliorum jure sequestrarent. Libuit itaque propositam expeditionem tantisper differre, donec prima animorum commotio deferbusset, & Turcæ postulatam satisfactionem obtinuissent.

Cum Turcis  
res composta,

Publicatione  
Redemptio.

Ad Petri - Va-  
radinensem  
Præfectum  
scribitur pro  
imperrandis  
litteris com-  
meatus.

Acceleratur  
iter ob adven-  
tum Præfecti  
Petri-Varadi-  
nenſis,

IV. Exeunte demum Martio præsentis anni P. Redemptor ex certis nunciis didicit, Cæsarem Turcarum querelis satisfecisse, & effreni paucorum hominum licentiâ excitatam controversiam pacifica compositione inter partes sublatam fuisse, quod ille tanquam signum promulgandæ Redemptionis anxiis haetenus desideriis expectaverat, de modo ad Turcas securè penetrandi minus solitus. Illo itaque obice complanato protinus in locis consuetis Redemptionem promulgari curavit, sesequi ad iter dispositus, quod sub finem Junii, vel medium Julii adire decrevit, quatenus in fine Octobris, quo tempore captivi ruralibus laboribus absoluti domum revertuntur, & quia tunc heris suis minus sunt necessarii, multo leviore pretio veneunt, in Budziakensem Tartariam delatus Redemptionem citius ad calcem perducere posset. Atque in hunc finem ad Excellentissimum Dominum Baronem de Nehm Petri - Varadinensis Præsidii Præfectum & Cæsareum Tribunum litteras dedit, quibus suum propositum eidem aperuit, simûlque obsecravit, ut sua Auctoritate, quamprimum id fieri posset, sibi a Baffa Belgradensi comeatus litteras impetraret Valachiam securè adeundi.

V. Hæc dum aguntur Excellentissimus Tribunus sub initium Maji Petri - Varadino Viennam appulit, cujus intellecto adventu P. Redemptor salutationis officiò perfuncturus confestim ad eum se contulit, quo res in loca esset cogniturus. Exposuit ei Vir Excellentissimus; Litteras comeatus jam esse certas & im petras, addiditque se infra quindecim dies cum multis militibus

Petri.

Petri-Varadinum reversurum, naves ad Danubium ideo parari, Patremque, si hac occasione uti velit, secum posse navigare. P. Redemptor tam propitiam sortem sibi impensè gratulatus DEO plurimas gratias persolvit, e cuius amabili providentia tam opportunam itineris tute perficiendi occasionem sibi oblatam non dubitavit. Itaque pro temporis compendio res suas ad iter disposit, multò citius abiturus, quam anteà cogitaverat. Solicitus præprimis, ut apud Valachie Principem, quem gentis sue vocabulo Vaivodam appellant, rem suam benè constitueret; non enim ignorabat, quantum hujus Reguli favor Redemptionis negotiis commodare posset. Ideoque ab Augustissimo JOSEPHO I. Romanorum Imperatore ad eum simul ac ejusdem sortis Moldaviae Regulum commendatitias expeditionis sue litteras expetivit, quæ latino idiomate ad utrumque Principem æquali tenore scriptæ ita legebantur:

1709.

Ad Princeps  
Valachie &  
Moldaviae im-  
petrat litteras.

## JOSEPHUS.

*Illusterrime Princeps sincerè Dilecte: Ex laudabili sue Religionis Instituto Lator præsentium P. Joannes a S. Felice Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum in Turciam atque Tartariam peregrinari, & ibidem denuò miseros quosdam sub jugo barbarico ingemiscentes, sicque durissima captivitate & simul periculò salutis eterne liberare intendit; cum autem constet, quod Sinceritas Vestra non solum hoc opus salutare officiis suis tam apud Portam Ottomanicam, quam Dominium Tar- taricum vel maximè promovere valeat, verum & aliunde ad id iuvandum propensa existat, eidem dictum Patrem, ejusque negotium ad supplicem ipsius instantiam omni meliori modo hisce commendandum duximus, quatenus hujus Requisitionis Nostræ intuitu eò promptius illi præfatum in finem securi itineris litteras, nec non quam efficacissimas ad amicos suos, qui sanctum hoc propositum adjuvare possint, commendatitias impertiri, denique omni, que sibi suppetet, ratione benevolè assistere velit. Comparatura Sinceritas vestra sibi est per hoc apud Ipsum DEUM & totam Rempublicam Christianam ingentia merita, uti & Nobis rem simul factura apprimè gratam, ferentibus sese occasionibus Gratiae Nostræ Cæsareae documentis recognoscendam. Quod reliquum est, Sinceritati Vestre firmam valetudinem & prospera quæc benignè apprecamur. Datum Vienne die 8. Maii 1709.*

Cæsaris Epis-  
tola,

VI. Ad decimam septimam mensis Maji statuta fuit dies migrationis, jussique sunt omnes, rebūs jam convasatis, pridie naves concordare, aut circa naves in procinctu stare: quamobrèm & ipse quoque P. Redemptor, qui denuò fratrem Joannem a S.

17. Maji de  
portu solvunt

Tttt

Anto-

1709.

Antonio in suam societatem adsciverat, ingruente vespera dictæ diei Religiosæ nostræ Communitati usitato more valedixit, & ad ripam Danubii se contulit, ubi ad discessum paratae naves hærebant in litore. Eam noctem nostri in vicina domo exegerunt, & ad primam sequentis auroræ lucem in comitatu suprà memorati militum Tribuni naves cum omnibus cæteris ingressi e portu solverunt secundo flumine Petri-Varadinum navigaturi, quò etiam post decem dierum profectionem feliciter pervenerunt, salutati ibidem, cùm proprius præsidio successissent duodecim tormentorum per legitima intervalla displosorum fragore ob adventum Excellentissimi Tribuni & Præfecti, cui militaris iste honor debebatur.

Interpres de-  
sideratus.Mercator Va-  
lachus reme-  
diū afferit.

VII. Petri-Varadini biduum P. Redemptor exegit in consiliis plerumque de complanandis difficultatibus, quæ in itineris continuatione occurseræ timebantur. Cùm autem ad Redemptoris negotium rite perficiendum interpres linguae Turcicæ necessarius esset, neque tamen adhibitæ omnibūs diligentiis ullus reperiatur, qui hoc munus ob idiomatis ignorantiam in se suscipere auderet, Pater ideo vehementer angebatur, satis nimirūm gratus, quanta se obstacula & pericula ex interpretis defectu in itinere possent remorari. Verum & huic necessitati Clementissimus DEUS desideratum remedium repente obtulit; dum enim de hac re cum Tribuno maximè consultat, ecce tibi! præ foribus adest mercator, gente Valachus, ejusdem Tribuni alloquium efflagitans. Admissus exponit se nunc Viennâ propria cum sua navi advenisse, sibi quidem compendiosius iter fore in Valachiam per Danubium, sed quòd ob sociorum paucitatem metueret pericula, circa Belgradum, & indè usque ad Valachiæ confinia emergere solita, quibus ipse propulsandis ob exiguum suorum numerum par non esset, se idcirco constituisse navim vendere, & per Temesvarinum longiore quamvis per terram itinere, majorique sumptu, certiore tamen securitate, in Valachiam profici: itaque suam Excellentiam voluisse suppliciter rogare pro litteris, quibus Turcico Temesvarinensis Præsidii Gubernatori commendaretur, quatenus per territorium, ejus jurisdictioni subjectum, sibi transituro salvi conductū instrumentum clargiretur, ac ità tutius in Valachiam, patriam suam, quò tendebat, cum duobus filiis pervenire valeret. P. Redemptor hominem intuitus coepit, nescio, quid opis ab eo sperare: neque falsus est; nam postquam se in ejus familiarem consuetudinem insinuasset, didicit, eum non solum propriam navim possidere, sed etiam Turcici idiomatis apprime peritum esse, insuper ambos ejus filios præter linguam Germanicam etiam Latinam probè callere. Gavisus est Pater de hac reperta occasione, cui intentis curis dudum inhiaverat. Decrevit itaque hominem istum a concepto proposito deducere, eidēque multis rationibūs persuadere, ne navim venderet, sed potius flumentaneo itinere per Danubium in Valachiam contenderet, se quoque cum fratre socio ejus comitatui accessurum: collocaret proinde spem omnem in Omnipotentem DEUM humani generis

Serva-

1709.

Servatorem, seseque Divinæ Providentiae ac Protectioni fiducialiter committeret, nec dubitaret, se quām tutissimè, si unquam aliás, in patriam perventurum. Non surdis omnino auribūs Vǎlachus Institutor hęc monita exceptit, sed sicut P. Redemptor ei consulerat, ita prorsus fecit, & ad navim suam regressus non si-nè magno Sacerdotis nostri solatio, omnia ad sequentis diei na-vigationem necessaria præparavit.

VIII. Nihil jam erat, quod P. Redemptorem moraretur: igitur ad diem nonam & vigesimam mensis Maji post acceptas ad Turicum Belgradi Gubernatorem litteras Excellentissimo Tribuno & Castrī Petri - Varadinensis Præsidi, Baroni Nehmio ejusque Consorti, pro benignissima hospitalitate gratias peregit, ut potuit, maximas, illi verò Patri, ejusque in Christianorum solamen perficiendis negotiis benè precati, ipsum præterea in discessu ad beneficiorum cumulum esculentis & generosissimō vinō, insuper pastillis Mexicanis (*chocolatam usitatiū nominant*) honorarunt. Eadem die manè P. Redemptor cum socio, mercatore & ejusdem duobus filiis, atque cum tribus aliis viris, octo capita universim, ad navim convenerunt, & Divini Numinis protectioni se commendantes iter per Danubium feliciter sunt auspicati, tanto undarum ventorūmque favore, ut biduō nondum exactō, trigesima videlicet die mensis Maji (quae festivam Sacratissimi CHRISTI Corporis solemnitatem orbi Christiano illō annō attulerat) Belgradum salvi & incolumes tenuerint. Hic in litus descendentes, litteras, quas secum portaverant, Turcico Gubernatori attulérunt, & ad navim denuò regressi liberi transitūs tabulas ibidem expectarunt, quibus obtentis cursum ulterius continuarunt, & secundā Junii sub vesperum Orsovam appulerunt, ubi exscensione facta flumen reliquerunt, conductisque mercede carris terrestrī itinere Tchernicz sive Nigropolim, quod est primum ad confinia oppidum Valachie, Cæsaris hodie ditioni subjectum, perverunt. Ibi inter faustas comprecationes eorum societas direpta fuit, P. Redemptore & mercatore Valacho in diversas plagas abiturientibus.

Petri .Varadi-nō discedunt.

Belgradum pervaenient.

Belgradi salvi conductus lit-tetas obtineant

## C A P U T XIX.

*Continuatio itineris ad interiorem Valachiam, &  
ibidem ad perficiendam Redemptionem disposita  
negotia.*

I. Instabat nunc per nemorum recessus & saltus, latrunculorum insidiis obnoxios, iter periculosum, in quo per duas dietas oppidum nullum aut vicus occurrit, nisi aliquod subinde solitarium tuguriolum, ubi præter venale vinum nihil sit reperire. Ad Nigropolim P. Redemptor, ne se captivorūmque facultates in discrimen adduceret, loci centurionem, qui & Custos confiniorum audiebat, accessit, rogavítque, ut accepta mercede milites aliquot sibi adjungeret, qui viam a graffatorum ferocia tutam.

In custodiā milites petun-tur, non obti-nentur.

1709.

præstarent. Sed oleum ille operamque perdidit; centurio siquidem causatus est, id sibi absque expresso sui Principis mandato non licere. Hac itaque spe dejectus fiduciam suam in DEUM, cuius causa agebatur, erexit, & de Divina Protectione confisus iter cum socio & auriga ingressus est, biduanoque itinere avia illa & inculta tesqua peragravit, nihil eorum, quæ timuerat, expertus, compertumque in se habuit, ut saepe alias, vetus illud adagium, nempe: ubi omnia humana desinunt subsidia, ibi Divina incipere præsidia.

*Krajovam  
pervenirent.*

*Ibideam subfi-  
stant.*

*Bukarestum  
appellant, ho-  
spitium apud  
PP. Franciscan-  
os.*

*Epistola Cæ-  
saris Principi  
porrigitur.*

*Munera sunt  
Biblia in figu-  
ris.*

II. Ad octavam mensis Junii sub noctem *Krajovam*, modernam Cæsareæ Valachie Metropolim, oppidum cæteroquin non incelebre, ac mercatoribus frequens prosperè attigerunt. Eo tempore, quô nostri *Krajovam* accesserant P. Gabriel ex Ordine Minorum S. Francisci Apostolicis Missionibus, præerat, quem tanquam veterem suum amicum & necessarium P. Redemptor officiosè visitavit, & ille adventum tanti hospitis sibi gratulatus eidem quidem in suo domicilio hospitium præbuisset, sed quod illud tantis angustiis esset circumscriptum, ut vix uni locus sufficeret, effecit vir optimus, ut nostris interim deserta domus concederetur, ubi per biduum ab itineris laboribus interquievere saepius eundem Patrem revisentes. Tertia tandem die benefico suo amico valedixerunt, currûque consenso *Bukarestum*, Valachici Reguli usitatam sedem, contenderunt, quò etiam decima sexta die Junii pervenerunt, apud Reverendos Patres Ordinis Minorum S. Francisci hospitiò excepti: atque adeò unius duntaxat mensis decursu tam prolixam viam confecerunt. Die sequenti per Petrum Grienerum, libellorum Magistrum, P. Redemptor Principi suum intimavit adventum, significavitque, esse sibi ab Augustissimo Romanorum Imperatore litteras, quas ipse Celsissimi Principis manibus tradere peroptaret. Responsum est, eum posterò manè vocatum iri, ageret itaque, & se interea ad Principis allocuui pararet.

III. Sequenti die circa septimam matutinam adfuit Principis Magister, qui P. Redemptorem cum socio in Aulam comitatus erat. Introducti ad conclave singularis benevolentiae testificatione a Principe excipiuntur. P. Redemptor debitâ reverentia Principi Cæsareas litteras tradidit, in quibus, ut supra retulimus, Redemptionis Institutum, tam luculentum Christianæ charitatis opus, commendabatur, & ad ejus promotionem Principis consilium & auxilium requirebatur. Etsi verò superfluum videtur, multis preciis comitari Augustales litteras, & coacervatis rationibus majus eis pondus adjicere, P. Redemptor tamen paucis Principi declaravit, quantum fiduciae Redemptio in ejus benignitate haberet, & quam prolixè omnia ab ejus Gratia speraret. Pro coronide colloquii tam ipsi Principi, quam Domino Constantino Cantacuzeno, primo Aulæ Ministro, in mnemosynon singularis suæ erga illos observantiae sacra Biblia donavit, in quibus utriusque instrumenti historiæ elegantibus figuris expressæ, & ingeniosis tum latinis, tum germanicis versibus illustratæ continebantur.

Quod

1709.

Quod donum Principi ob pulchritudinem nitorémque magnopere arrisit (liber enim uterque priori anno Norimbergæ in lucem prodierat, quem non solum artificis scalprum, sed & ipsa quoque compacturæ venustas majorem in modum commendabat) fassusque, nihil sibi hoc munere gratiùs unquam obvenire potuisse, promisit, se hujus doni memorem futurum, neque commissum unquam, ut Pater quidquam in sua beneficentia jure desiderare possit. Tanta Principis comitate erexit P. Redemptor exstimator tempus nunc opportunum adesse, mentem suam ulterius aperiendi. Significavit itaque Principi, se Viennæ a bellico Consilio postulasse, ut Cæsarei apud Portam Ottomanicam Residentis operâ scriptam facultatem impetraret Turcarum ditiones liberè adeundi, idque bellicum Consilium liberaliter spopondisse, & hujus rei gratiâ ad eundem Cæsareum Ministrum litteras exarâsse: accidisse autem, se propter oblatam repente itineris opportunitatem, cui aliam similem non tam facile fuisset nancisci, maturius Viennâ discessisse, quam prius cogitaverat, atque adeò sibi persuasum esse, illas bellici Consilii litteras nondum ad manum dicti Ministri Cæsarei pervenisse, se proinde angi magnoperè, & in ancipiti versari ob ignorantiam, quo tandem in statu res ista versaretur. His auditis consuluit Princeps, ut P. Redemptor hinc Constantinopolim Cæsareo Ministro rursum scriberet, easdem liberi commeatûs litteras denuò urgeret, significaréque, eas ad Valachiae Principem esse transmittendas. Epistolam verò ad Cæsareum Ministrum sibi committeret, daturum se operam, ut brevi tempore per tabellarium ad eundem Ministrum Constantinopolim perforatur: interim donec tabellarius reverteretur, P. Redemptor aut Bukaresti tantisper subsisteret, aut se Tergovistum, quò postridie proficiisci decreverat, comitaretur, ibidemque responsum præstolaretur. Consilium Principis confessim secutus Pater epistolam exaravit, eamque Principi transmittendam tradidit: non tamen cum illo statim Bukarestô discessit, sed ob urgentes causas ibidem aliquot adhuc diebus remansit, donec tandem & ipse ad Kalendas Julias Principem subsecutus fuisset. Tergovistum delatus etiam apud Patres ex Ordine Minorum S. Francisci ob fidei ac Religionis communionem cum socio divertit, ibidemque tabellarii redditum avidissimè expectavit.

IV. Ad decimam tertiam Julii ex aula Patri nunciatur, tabellarium Constantinopolî cum responsoriis & salvi commeatûs tessa reversum fuisse. Hoc nunciô exhilaratus Pater Redemptor, quod jam in limine suæ expeditionis se consistere videret, actuum Principem accessit de ulterioribus negotiis consulturus, aut capessitur mandatorum instructiones. Exposuit igitur Principi, sibi propositum esse, si Redemptio in Budziakensi Tartaria ad vota haud succederet, aut subditi Cæsareæ Majestatis ibidem non reperirentur, in Crimeam proficiisci. Istud tamen prudentissimus Princeps magnopere dissuasit, quod Crimenses Tartari nunc iterum ob exauktoratum Chanum, & ibidem substitutum Deulek Bassam ferociter tumultuarentur, omniisque sus, deque miscerent:

Uuuuu

sibi

Cura de litteris  
salvi con-  
ductus Con-  
stantinopolis  
obtineandis.

Tergovisti  
apud PP. Ord.  
Minorum ho-  
spitium.

Salvi condu-  
ctus litteras  
adveniunt.

Crimea diffusa.  
detur ob cau-  
fas.

1709. sibi proinde consultius videri, si Pater Tekinum, sive, ut Turcæ vocant, Benderum adiret, & a Turcarum Seraskierio facultatem captivos emendi postularet, quatenus tutè per intima Budziakensis Tartariæ, ubi adhuc omnes in fide Sultani persistunt, discurrere posset, & captivos, quoscumque vellet, pro suo arbitratu redimere. Ut autem hoc facilius obtineret, promisit se ad Seraskierium in favorem Redemptionis, aliasque ad suum in ea urbe Procuratorem litteras exaraturum, & Patrem utriusque prolixius commendaturum: addidit præterea, se in eundem finem ad Præfectum Focsiamensem, seu ad supremum, ut vocant, in confiniis Valachiae Capitaneum, nec non ad Besli-Agam Reni agentem scriptorum, speraréque se, harum epistolarum adminiculò Redemptoris negotium feliciter successurum.

Proponuntur  
a Patre alias  
difficultates.

Princeps be-  
nigne respon-  
det.

V. Tantà Principis benevolentia illectus Pater censuit nihil cum celare: unde & cætera pectoris sui arcana ei in hunc ferè modum exposuit: Cæsareus Minister Constantinopolì & P. Jacobus Caschodus Apostolicus e Societate JEsu per Græciam Missionarius mihi scriptis intimârunt, se intellexisse, me Constantinopolim hac occasione non perventurum ob exiguum captivorum numerum in ea urbe reperiundorum, atque adeò rogârunt, ut eis aliquam saltèm pecuniam transmitterem, quâ ex triremibus nonnulli liberarentur: significârunt pariter, alios ibi degere, libertatem jam asseditos, eos tamen mediis destitui, quibûs adjuti in patriam remearent. Desidero quidem, subjunxit Pater, efflètumque discupio eorum votis satisfacere, anceps tamen hæreo circa modum pecunias securè transmittendi, præcipue cum id etiam fieri vellem, si posset, sinè censibus cambii & damno Redemptionis. Huic accedit non minor solicitude mea de ipsis redemptis, quod ignorem, quo duce in Valachiam sint perventuri? aut quis, si me diutiùs in Tartaria morari contingeret, interim eorumdem curam sit suscepturus, vel eisdem alimenta suppeditatus? Ad hæc optimus Princeps, ut Pater has curas longius missas faceret, jussit, ac omnes perplexitatum spinas exemit: Quoad primum enim asseruit, esse sibi modum securè, sinè damno, & sinè censu pecunias quascunque Constantinopolim transmittendi. Quoad alterum quoque Patrem ab omni angore liberavit; pollicitus est enim, seipsum interea curam illorum suscepturum, ac donec ex Tartaria rediverit, imò & ulteriùs donec hinc cum eis discesserit, omnia ad viëtum necessaria de penu sua liberaliter suppeditaturum: nec dubitare se, quin liberati captivi, ubi hæc eis innotuerint, Constantinopolì sint alacriter emigraturi, & absque ullo ductore in Valachiam libentissimis animis profecturi. Dici vix potest, quantò solatiò anxius Pater ex tam favorabili hujus Principis responso fuerit delibutus: unde facile conjicere potuit, quantum pondus apud ipsum Augustissimi Nostri Imperatoris litteræ habuerint. Tanto igitur curarum onere levatus benignissimo Principli plurimas gratias persolvit, lœtusque ab ejus colloquio abscessit, cætera in viam dispositurus.

VI. Quoniam verò superiùs commemoravimus Constanti-  
nopolì salvi conductùs litteras advenisse, pro corollario hujus ca-  
pitis eas hìc subnectere libuit, idque in gratiam eruditè lectoris,  
qui fortassis gentis illius curialem stylum magis noscere, aut le-  
ctitare in deliciis habebit: hac etiam de causa in prioribus hujus-  
modi inficeta colutea crebriùs attulimus, & deinceps pro occa-  
sionibus sumus allaturi; nemini enim ingratum fore confido, si  
animos rerum seriarum lectione fessas tali parergò paulisper di-  
vertamus: præsentes autem litteræ sunt more solito pro gentis  
superbia magnificæ, & inanum strepitu verborum turgidæ, quæ  
de Turcico in latinum idioma transpositæ sic sonant:

1709.

Litteræ salvi  
conductùs in  
latinum posi-  
te arroganti-  
am sonant.

### Locus Signi Imperialis.

Consiliario honorando ac Ministro illustri, Mundi Ordinatori,  
Rerum-publicarum prudenti judiciò Moderatori, negotiorum Univer-  
si rectò consilio Terminatori, Fabricæ Imperii, ac prosperitatis Ro-  
boratori, columnarum gloriae & felicitatis Firmatori, variis Regis  
altissimi gratiis ditato Albæ Græcæ Præfecto, Vestrio meo nomine  
Ali Bassæ, DEUS Excelsus aternet gloriam ejus. Præstantissimis  
etiam locorum Albâ Græcâ usque ad meam Excelsam Portam eun-  
tibus & redeuntibus in via occurrentium Judicibus & Præfulibus,  
scientiarum & facundia Fodinis, quorum præstantiae semper augen-  
tur. Præstantibus quoque ac inter paris conditionis viros inclytis  
Aulae Præfectis, Janissarorum Ducibus, Provinciarum Primori-  
bus, aliisque Officialibus, quorum gradus extollantur. Cùm hoc  
Excelsum Signum Imperiale ad vos pervenerit, notum sit: quòd  
cùm Germanie Cæsar is ad meam fulgidam Portam Residens Mini-  
ster nomine Talman meæ Portæ libellò supplici exposuerit, quen-  
dam nostram immunitatem implorantem Fratrem Joannem, èd  
quòd jussus fit, in meo custodito Imperio degentes captiuos Ger-  
manos, si hi velint a Dominis suis, juxta tenorem Capitulationis  
Imperialis, redimere, Viennâ se ad has partes conferre statuisse,  
& ideo nos pro nostro Imperiali diplomate implorare, vigore cuius  
sibi ad cujuscunque vestrûm jurisdictionem pervenienti, sibiique ad-  
junctis famulis, rebus ac jumentis nuspiam aliquod impedimentum  
afferri, innoxius transitus negari, vel aliqua tributi exactione,  
aut quocunque alio prætextu contra Capitulationem Imperialem ve-  
xari, ac molestari possit. Hac de causa hæ litteræ patentes con-  
cessæ sunt, quibüs jubemus, ut quando ad vos delatæ fuerint, vos  
juxta eas operemini, & ad cujuscunque vestrûm jurisdictionem  
supradictus Joannes pervenerit, vos ipsi, suis hominibus, rebus,  
ac jumentis nullum planè damnum afferri, & ipsum nullibi libera-

1709.

*transitu prohiberi, aut aliqua tributi exactione sub quoconque praetextu a quoquam vexari sinatis. Ita scitote, & huic Signo imperiali fidem adhibetote. Scriptum decimis ultimis diebus mensis Rebbiul Achyr, Annô Hegiræ 1121.*

*In præservata urbe Constantinopoli,*

## C A P U T X X.

### *Iter in Budziakensem Tartariam.*

*Cetera ad expeditiōnēm disponuātū.*

*Principis libe-*  
*galitas.*

*Vestes Turci-*  
*ce afflumen-*  
*dū.*

*Epistolas ad*  
*diversos.*

*Mille aurei*  
*pro captivis*  
*Constantino-*  
*poli redimen-*  
*die.*

*Fociamum*  
*pervenire.*

I. Hactenus ad felicem Redemptionis successum probè directa consilia, non modò consensu omnium, sed etiam plausu recepta, stabilitaque fuerunt. Princeps Valachiae, ut veteribus nova semper beneficia attexeret, currum cum equis parari jussit, cuidamque suorum equestrium militum mandavit, ut P. Redemptorem, ejusque socium Fociamum ad Valachiae confinia comitaretur, eos in via custodiret, & in omnibus oppidis suæ jurisdictioni subjectis illis commeatum, résque ad victum necessarias gratis & liberaliter suppeditari curaret. Porro, ut Redemptio tantò felicius succederet, minoraque impedimenta sentiret, consuluit providus Princeps, ut P. Redemptor & frater socius religiosam vestem tantisper seponerent, & amictu Turcico personam suam propositumque celarent, ne ex insolente apud illas gentes habitu ludibrium aliquod aut damnum incurrent, aut certè hæreditarium infidelis populi erga omnes Christianos odium hoc exteriori vestium schemate magis etiam acuerent. Huic quoque consilio acquievit Pater, & ejusmodi vestimenta sibi patari curavi. Ad decimam sextam mensis Julii universis ad iter jam dispositis P. Redemptor cum socio ad alloquium Principis admissus profusissimæ ejus benevolentiae multe simas gratias rependit, Principe æquabili semper tenore addictissimum suum affectum officiosissimis verbis contestante. Traditæ sunt tunc Patri ad diversos epistolæ, quæ Redemptionis negotio promovendo apud exteriores obstetricarentur.

II. Eadem die post meridiem numerati sunt PetroGrienero, Principi a secretis mille aurei nummi Cæsareo Ministro Principis operâ Constantinopolim transmittendi, ac ibidem in captivorum Redemptione expendendi. Sequenti luce Pater & frater socius in Turcico schemate apparuerunt, currus & equi in procinctu stabant, adfuit quoque miles equestris, ductor itineris. Sumptò prandiò a meridie in viam sese dederunt, & post triduum, nempe vigesimâ ejusdem mensis Julii circa meridiem Fociamum pervenerunt. Aberat peregrè regionis Gubernator, ad quem Princeps in Redemptionis favorem litteras scripserat, ut proinde eis necessitas injecta sit in hac civitate Gubernatoris adventum expectandi; multum siquidem illorum intererat, ut hanc epistolam propriis ejus manibus consignarent. & ab eo peterent, quod Princeps requirebat, nempe, ut ipse nostris fidum ac industrium Tar-

Tar-

Tartaricæ linguae interpretem conquereret. Obtulit se suâ sponte unus, qui & Hungaricum idioma se nosse jaſtabat; verum cum ejus rei periculum fieret, patuit ipsum interpretis partibus sustinendis minus esse idoneum. Cùm alter nemo reperiretur, adfuit tandem apella quidam hebræus Tartarici, Germanici, Polonici, & Hispanici gnarus idiomatum, quem Pater stipulata mercede in suum usum conduxit. Hoc obice ita complanato Regionis Gubernator five Præses illius Provinciæ protinus alium currum cum equis, & militem equestrem pro duce ac custode ad iter usque Galaczium (quæ civitas est Moldaviæ) abiturientibus substiuit. Ast perfidus Hebræus cœpit in ipso discessu tergiversari, & ex ignotis causis, pauci fortè pœnitens, callidè prætexere urgens sibi negotium in Ibrail civitate peragendum, quō confecto Galaczium illico profecturus, & nostris pro munere suo adhæsurus esset: timebat scilicet versipellis veterator apertè reluctari, ut ne a Præside ad datam fidem compelleretur. Nostri Galaczii apud Presbyterum loci a Missionibus Apostolicis diverterunt, ibidemque ceu grati hospites omni charitate recepti, habitique fuerunt. Hic itaque nostri dictum Judeum aliquot diebus expectarunt; sed cùm ille nusquam compareret, nostri a subdolo homine, ut est genius hujus gentis, egregiè se delusos cognovere: igitur ad alium quærendum interpretem animum applicuerunt.

III. Miles, qui P. Redemptorem Fociamō Galaczium deduxerat, gente Polonus fuit, & Tartaricæ linguae satis gnarus, quam in Tartaria didicerat, ubi aliquamdiu mancipium miseram servitatem servierat. Frater socius ex lingua Sclavonica, quæ magnam cum Polonica habet affinitatem, satis eandem poterat intelligere, ut experientia crebrius docuerat. Ipse miles ipse propensus erat ad munus interpretis suscipiendum, dummodo id cùm bona venia sui Centurionis, a cuius nutu pendebat, fieri posset, & Pater hoc ab eo postularet. Is rem facile impletum iri ab illo sperabat, cuius erga se benevolentiam non unō argumento exploratam habebat. Confestim igitur Renum five Eriene, quod & Tamarovam vocant, iter instituit, ibidemque litteras Principis Vlaichiæ Besli-Agæ loci Gubernatori tradidit, atque hōc factō eundem militem Fociamum ad Præfectum cum litteris remisit, quibūs obsecravit, ut cùm Hebræus pro usitata gentis perfidia sibi verba solūm dedisset, neque alium interpretem reperire posset, militem illum Tartaricæ linguae gnarum concedere sibi, & protinus remittere, donec ex Tartaria esset redditurus, non gravaretur; factum opus in hoc Principi gratissimum, nec non maximi apud DEUM meriti.

IV. Dum igitur Fociamō reducem militem Reni præstolatur, reliquum iter Benderum usque disponit. Quoniam verò Tartariam erat peragratus, gentis etiam illius hominem sibi conducere statuit, qui ad securitatem comes & custos adesset: dum itaque hujusmodi virum requirunt, propitiâ fortunâ incidunt in eum Tartarum, nomine Akierman, qui aliquot ante annos Redemptioni jam idem officium præstiterat, fratrique socio ejus

1709.

Interpres  
queritur.Hebreus fallit  
Patrem,Galaczii hospitiū  
apud Sa-  
cerdotem Mi-  
sionarium.Polonus mā-  
les Interpres  
postulatur &  
obtinetur.Tartarum na-  
tum sibi ad-  
sciscit Pater,

1709. experta fidelitas pridem fuerat, & industria commendata. Conventum est cum illo Tartaro, ut ipse rursus per decursum Redemptionis ubique locorum Patrem fideliter custodiret, Germanos captivos diligenter investigaret, & ab injuriis Tartarorum omnes servaret immunes; in mercedem vero suam de quolibet redempto unum in nostra moneta florenum reciperet.

Cum eo con-  
cessus.

Contra culi-  
ces et medium.

V. Eo tempore magnus per Tartariæ horizontem æstus invaluera, cuius immodicus calor ingentem copiam ciniphum & culicum, molestum sanè regionis malum, produxerat, qui infixò aculeo dolorem simul & tumorem eliciebat, noctu præsertim dormientibus infesti, a quorum vexatione, ut se nostri præmuni- rent, zinzularium comparavere, ac sub hac reticulata tela, dum ferocius copiosiusque ingruebant, morsus eorundem eludebant; manè videbantur multa millia eorum animalculorum dictæ telæ insidere, & sanguini inhibare, sed absque noxa vel molestia.

Gessengen in  
vocabulario  
Kœnigii.

Benderum  
perveniunt.

Carolus Rex  
Suecorum ibi-  
dem post ac-  
ceptam cla-  
dem moraba-  
tur.

Ilded Seraskie-  
sii suspicio-  
nes.

Allia purple-  
ritates.

VI. Post dies aliquot miles supradictus cum bona sui Domini gratia est reversus, Redemptioni in officio interpretis suam operam navaturus. Ab omnibus igitur impedimentis absoluti profectionem ulterius adornarunt, cingaro quodam pro mercede currum & equos commodante. Iter ingressi Benderum die decima Augusti pervenerunt, in ædibus cuiusdam hominis Christiani hospitiō excepti. Eadem die Principis Valachiæ Procuratorem adiverunt, illique Principis Epistolas tradiderunt tam ad ipsummet, quam ad Seraskierium urbis Gubernatorem exaratas, in quibus petebantur ex publica fide salvi conductus litteræ. Procurator Valachus mandata sui Principis seriò sibi exequenda duxit, ideoque die sequenti eundem Seraskierium accessit, exposuitque viros advenisse redimendorum captivorum Christianorum causâ, eosq; a Valachiæ Principe sibi commendatos perquam honorificè. Prompsit deinde epistolam, eamque in testimonium veritatis Seraskierio consignavit, qui ut illam perlegit, subivit hominem suspicio, ne sub colorato redemptionis captivorum obtentu dolus vel fraus aliqua occultaretur; nam sub idem tempus Rex Suecorum Carolus XII. elapso mense Junii, undecimā post acceptam a Russis ad Pultavam cladem die, ibidem cum reliquiis sui exercitus trans fluviū Niesterum considerat. Cum autem Valachos & Russos eadem ex ritu Græcorum necat credendi ratio, verebatur Seraskierius, ne Moscovitæ usi Valachis exploratoribus in Regem Suecorum quidpiam machinarentur, & ideo propter violati asyli jus ipse ad quæstionem traheretur. Huic accessit & aliud non minoris suspicionis argumentum; nam inspectis salvi commeatûs litteris, quas Pater ab Ottomanica Porta attulerat, videbat eas ad Belgradensem Bassam directas, a quo, ut moris est, alias liberi transitus litteras habere oportebat, quod Seraskierium magnopere redidit perplexum; ignorabat enim Patrem dictas salvi conductus litteras in Valachia accepisse, postquam Belgradum publica fide pariter munitus pridem pertransivisset. Hæc dum Seraskierius cum Procuratore Valacho disceptat, hic nihil eorum sibi videri timendum repositus, cum hi viri Valachi non sint, sed ex Ger-

1709.

Germania huc venerint, ut Germanos redimerent captivos, ipsorum Suecica aut Russica negotia nihil prorsus interesse. Ceterum Ottomanicæ Portæ litteras ita bonas & legitimas videri, ut clariores vix desiderari queant. Seraskierius, cum in promptu non haberet, quod ad ea cum ratione replicaret, significavit Procuratori Valacho, velle se hos viros coram intueri, eorumque rationes audire, atque adeò jussit, ut illos sibi adduceret.

VII. Reversus idem Procurator nuncivit P. Redemptori suspicacem Turcæ animum, monuitque eundem, ut se ad respondentium pararet, sisti eum debere coram Seraskierio. Terruit nonnihil hic nuncius Patrem; aversabatur enim disceptare cum Turça, quem in ea regione summam potestatem obtinere videbat, non nescius, quanta sibi atque Redemptioni ex levi linguae lapsu posset suboxiri calamitas. Initò igitur secum consiliò decrevit unà cum Principis Procuratore & fratre socio Turcam accedere, suamque innocentiam tueri. Casu, aut potius Divini Numinis Providentiâ factum est, ut alias quoque litteras salvi conductus secum attulerit, quas ante triennium a Tartarorum Chano in Crimea impetraverat. Has statim in accessu Seraskierio porrexit, ut suspicionem hominis barbari retunderet, eidemque tacite demonstraret, nihil novum esse, aut exoticum, quod nostri terras illas redimendorum captivorum gratiâ accedant. His litteris conspectis Gubernator quidem multum a concepta suspicione remisit; sed quod etiamnum causaretur litteras Belgradensis Bassæ deesse, eas quoque Pater impigrè exhibuit, quibus demum perlectis, quin observasset, an facultas Belgradensis Bassæ prior, aut posterior esset litteris salvi conductus Costantinopoli acceptis, omnem suspicionem deposituit. In multò tamen majores perplexitates se induisset Seraskierius, si animadvertisset, litteras Belgradensis Bassæ Constantinopolitanis fuisse anteriores, quod tamen magnò nostrò commodò non observavit Turca. Responsum est itaque, post triduum reverterentur, habituros novas ab se liberi commeatūs litteras; nunc enim multa sibi expedienda esse negotia propter Regem Suecorum.

Sed refelluntur.

## C A P U T . XXI.

### *Varius in Budziakensi Tartaria Redemptionis successus.*

I. **N**tereà, ne tempus inaniter tereretur, Pater cum audivisset, Kausani singulis in hebdomade secundis feriis nundinas celebrari, ad quas Tartari frequentes convenire soleant, statuit cum fratre socio & interprete eò pariter se conferre, invitante ad hoc consilium loci vicinia; Kausanum enim duabus duntaxat leucis Benderò distat. Ad illam civitatem delati promulgari jusserunt nostri, se ad redimendos pretiò Christianos Germanicæ & Hungaricæ Nationis captivos advenisse: monebant itaque voce præconis Tartaros, ut si quis hujusmodi mancipium possideret, & vendere

Kausani Redemptio promulgatur.

1709. vellet, Renum illud adduceret promptam ibi solutionem repertus. Quidam Tartarorum fatebantur quidem, sibi hujus gentis esse mancipia, nunc autem, cùm ruri adhuc labores urgerent, ea vendere minimè cogitabant: alii verò nummorum illecti cupiditate de suorum mancipiorum pretiō transigere non abnuebant. Iste igitur jussi sunt Renum petere, quò P. Redemptor post aliquot dies erat venturus, & tractatus ibidem cum illis de pretio. Hinc nostris spes affulserat Redemptionem in Budziakensi Tartaria celeriter perficiendi, contra opinionem eorum, qui paucos in Bessarabia repertum iri dictitabant captivos. Post hæc Benderum reversi, salvi conductūs litteras a Seraskierio cum amplissima facultate coëmendi captivos, & cum eisdem abeundi, quocunque libuissent, impetrârunt.

Commentarii  
litteræ obti-  
nentur.

Duo statim  
redimuntur  
captivi.

F. socius in  
Tartaria qua-  
rit captivos.

Multi redi-  
muntur.

Tartari au-  
ream moneta-  
m nolunt  
recipere.

Inde rerum  
surbatio.

Ismaili a Prä-  
tore ad tribu-  
nal Fater tra-  
ditur.

II. Hac futuræ negotiationis prolusione res eosque jam perducta fuerat, ut Redemptio suum initium haberet. Igitur in die festo Assumptæ Virginis P. Redemptor cum socio, duobū linguae Tartaricæ inreptibūs & Ductore Tartaro comitatus, interiorem Bessarabiam sive Budziakensem Tartariam ingressus est, ubi post brevem moram duos redemit captivos, quos secum cum uno interprete adduxit Renum; fratrem verò socium cum altero interprete reliquit in Tartaria, ut ipse per omnes vicos, pagósque discurreret, promercalia mancipia exquireret, de leviore pretio conveniret, & eadem mancipia cum heris suis Renum ad P. Redemptorem mitteret, ut ibi paratā pecuniā juxta jam factam conventionem persolverentur. Ne verò fraudi locus daretur, frater socius cuique captivo, ad P. Redemptorem ablegato, tradebat litteras, in quibus describebat nomen captivi, ejusque patrīam, ætatem, tempus captivitatis, lytrum, & alia quædam, ut fieri solet, signa corporis.

III. Porrò P. Redemptor, cum Reni ageret, quotidie captivos exsolvebat, quos cumulatim frater socius cum heris suis eò destinaverat. Turbavit autem hunc felicem Redemptionis progressum quorundam Tartarorum pertinacia, qui præfraftè argenteam monetam pro lytro postulabant, quod Patri magnas difficultates peperit, qui pecuniam ferè omnem in auro secum attulerat, & in illis locis neque facile argenteam monetam comparare, nec in suo proposito obfirmatos Tartaros inducere poterat, ut signatum aurum pro lytro reciperent. Quorum voluntati tandem Pater obsecuturus Ismailim, civitatem juxta Danubii ostia mercatoribūs frequentem, accessit, ut aurum pro argentea pecunia commutaret. Verùm inopinatis insidiis ibidem se induit, quorum causâ periculum etiam ad fratrem socium indè longius agentem emanavit; Turca namque illius civitatis Prætor, cùm subol- fecisset, aurum adesse, illius orexi ductus decrevit Patrem ingenti quodam terrore percussere, ut eum aliqua auri parte emungeret: in hunc itaque finem duos apparidores ad hospitium Patris dimisit, qui eum, ejusque interpres, ac hospitem ad tribunal traherent. Sistuntur omnes confessim; Prætor turgida voce quærit ex Patre, cujus causâ, vel cujus auctoritate civitatem hanc ausus

aulus fuerit ingredi? Respondet ille, se ob redimendos captivos Christianos publica auctoritate fultum huc venisse; atque his diebus simul Magni Sultani litteras, liberum commeatum testantes, exhibuit, ut eas ipse suis oculis videret, legeretque. Ast barbarus homo inspectis litteris negavit ullam in eis contineri redimendorum captivorum mentionem, quae tamen ille dicebat, non quod res ita se haberet; sed quod ille, ut opinor, legere litteras prorsus ignoraret; rari siquidem eas inter gentes litterati reperiuntur, doctissimum censemur, qui legere saltem neverunt. Ulterius deinde sciscitando Praetor institit, num a Benderensi Bassa salvum conductum obtinuerit: Patre vero respondente, eum quoque a se obtentum fuisse; precepit illicet Praetor, ut eundem quoque exhiberet. Sed cum Pater reposuisset, eum penes se non esse, sed penes socium absentem, Barbarus disertis verbis edixit, eum a se non prius dimissum iri, donec Benderensis Bassae facultatem exhibuisset. Ad quod Pater regessit, id nunc fieri non posse, cum frater socius in Tartaria versaretur, nec sibi compertum esset, in quonam loco consisteret: ceterum se pluris semper habuisse Magni Sultani litteras has praesentes, quam Bassae Benderensis.

IV. Dubius adhuc Praetor, num in litteris Magni Sultani facultas redimendi captivos esset expressa, P. Redemptorem cum iisdem litteris ad Kadi sive loci Judicem dimittit, ut easdem examinaret. Judex Praetore doctior, dum litteras pensiculatè perlustrat, indicavit, vigore earundem Patri non solùm licere captivos redimere, verum etiam pro suo arbitratu ire, redire, dimorari, aut progredi, quin ulli fas esset ei vel minimum impedimentum objicere. Hoc responsum ad salivam avari Praetoris non erat; unde ne sperata prædā excideret, severissime rursus mandavit, ut Pater tam diu sub custodia servaretur, donec Benderensis Bassae litteras exhiberet, quatenus hoc modō ei vel invito ad hanc vexationem redimendam aliquot aureos extundebret. Sed Pater hujusmodi terriculamentis nihil moyeri solitus intrepidè respondit, se quidem injuste retineri posse, sed etiam probè scire, Magnum Sultanium injusticias & iniquitates non relictum inultas: ageret nunc pro libitu, sibi non defuturum modum, quod haec omnia ad Magni Sultani cognitionem deferantur. Quibus auditis Praetor quasi frigidè perfusus exhorruit, omnique spe, quā haec tenus laetatus tot vafra consilia excogitaverat, destitutus, eundem liberum abire jussit. Pater, licet circa permutationem auri, quidquid potuit, pertentasset, modicum tamen a gente moneta colligere potuit.

V. Interim dum ille per sex dies Renō abest, frequentes cum suis mancipliis Tartari eò confluxerunt a fratre socio submissi, lycrum, prout cum eis tractatum erat, recepturi. Verum cum Pater nusquam compareret, nec aliis, qui responderet, esset substitutus, Tartari se ludificatos suspicati, magna cum indignatione rediverunt, cum fratre socio de itinere octo dierum frustra consumpto, & simul de injuria expostulaturi. Re infecta redivisse Tartaros mature cognovit Frater ex Interpretate & ductore Tartaro.

1709.

Respondet  
objicitur.

Turcom litterarum ignorantes.

Pater ad Judicem loci adducitur, ubi absolvitur.

Praetori audacter responderet Pater,

Et liber abire permissione.

Frater socius propter absentiam Patrie in angustias conjicitus.

1709. Ille rerum ignarus, utpotè, qui de Patris discessu præmonitus non fuerat, sibiique metuens, ne adversus se populus commoveretur, latebras cœpit circumspicere, quas cùm securas non inventaret, nec haberet in promptu, quid objicientibus responderet, clam se subducens Renum confudit, visurus, quo in loco res esset, ibidemque P. Redemptoris redditum præstolatus est, quo adveniente recensuit eidem exodium penè ridiculum, sibiique propè perniciosum.

Ad communis bandam pecuniam frater mittitur.

VI. Subinde tamen aureâ moneta quidam redimebantur captivi; cùm autem rursus argentea moneta deficeret, quæ ad conficiendos Redemptionis tractatus maximè desiderabatur, P. Redemptor fratrem socium Galaczium & Ibrailim ablegavit; sed hic, cùm in illis civitatibus parùm vel nihil argenteæ monetæ posset reperire, Bukarestum usque excurrit, quamvis ne sic quidem multum profecerit, quia ubique eadem difficultate urgebatur. Post dies quindecim Frater socius Renum reversus, licet exiguum cum fructu laborasset, grande tamen gaudium P. Redemptori attulit, qui impendiò gratulatus est, Fratrem socium cum pecuniis incolumem redivisse; nam, quia per tot dies ob tabellariorum defectum nihil de eo inaudiverat, magna solicitudine torquebatur, ne quid illi sinistri accidisset.

Redemptio absolvitur.

VII. Exeunte jam mense Septembri Pater Redemptionem festinavit absolvere, ut mitiore adhuc tempore in viam se committeret, ideoque Fratrem socium rursus in Tartariam misit venales captivos investigaturum. Sed ille in hoc itinere gravi ægritudine correptus Renum debuit reverti, nec nisi sub finem Redemptionis convaluit; quod Patris animo non parvum dolorem attulit, cùm se tunc ejus operâ videret destitui, quando vel maximè illà indigebat. Redimebantur tamen quotidie non pauci ab iis, qui sponte ad sua mancipia vendenda Renum commeaverant, vel noster Tartarus e latebris produxerat, ut sibi lucrum ex pluribus redemptis auget, præsertim quia Redemptionem fini appropinquare videbat.

## C A P U T XXII.

*Ex Tartaria in Valachiam redeunt, ibidem Constantinopolî redemptos excepturi, atque viam inde ulterius prosecuturi.*

I. Omnibus ad longinquum iter paratis die decima septima Octobris viam auspicati sunt valde difficilem; quotidiani enim ferè pluviis irrigati assidue madebant, calles quoque imbribus exasperati remorabantur pauperes viatores, sèpius per diem amnes, non sine vitæ discrimine transvadandi, curam & terrorem intenderant, sed nunquam majore periculo, quām in festo Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ, cùm ad Ribnicum opidum fluvius transeundus esset; etenim P. Redemptor imprimis, et si cognovisset, ex continuatis imbribus amnem vehementer intumuisse, equo tamen suo confisus transfire tentavit, sed infasto suc-

successu; vix enim medium alveum attigerat, dum præcipiti undarum impetu una cum equo abreptus cœpit aquis profundiūs immersi, & nisi captivorum unus cum Interpretate celeriter ei in subfidiū venisset (qui omni discrimine contempto rapidum flu- men insilierunt opem Patri laturi) aquarum vortices hic nunquam eluctatus fuisset. Post unius horæ intervallum ad eundem fluvium octo Redemptionis currus onerati pervenerunt, e quibus primi quatuor transmisso amne feliciter oppositum litus tenuerunt, alii verò quatuor, in quibus ferè mulieres & parvuli vehebantur, vel aquarum violentiā, vel aurigarum imperitiā in medio flumine inversi fuerunt, & nisi robustissimi quique e sociis redemptis accurrisserent, supremūque periclitantes e gurgitis extraxissent, nemo ex debiliore sexu, vel ætate salvus evadere potuisset. Non tamen omnes sunt salvati; nam mulier in fluvium præceps acta capite in latens fortè saxum impegit, verticemque graviter læsit, quæ fémianimis ad ripam extracta paulò post ibidem exspiravit, & in Armenorum cōmeterium délata sepulturam accepit. Duæ puellæ præterea desideratæ non amplius comparuerunt, magno omnium luctu aquarum vorticibus hauſtæ. Cæteri ad ripam ægerrimè eluctati, omnes pavidi, gelidi, algentes & aquas stillantes constiterunt: nox quoque jam imminebat, nullum tamen adversùs tot calamitates miseris suppeditabat perfugium, aut receptaculum; sed neque ligna aut virgulta per totam latè viciniam inveniri poterant, quibüs focus ad siccandos madentes excitaretur. Deerat pariter annona, quæ in aquis ut plurimum periit, aut corrupta fuit, sed nec vasa coquendis pulmentis destinata retinuerant, cùm & illa fluminis rapacitate absorpta fluctibus in prædam cesserint.

II. Summa itaque urgente necessitate compulsi sunt inchoatum iter prosequi, ut tantò citius in Valachiam, terram hospitalem, pervenirent. Tertia demum die Novembris Philippes tum attigerunt, quod tamen oppidum redempti ingredi non sunt ausi, quia duxit itineris illud magno cuidam Domino proprium esse dicebat, quem omnes venerarentur: idèoque P. Redemptor, quamvis aër gravidis nubibüs imbres minaretur, extra oppidum cum redemptis in campo & sub dio pernoctare decrevit. Cæterum ut miseræ suæ turbæ vietum provideret, ipse adivit oppidum, in cuius ingressu mox intellexit illam possessionem ad Excellentissimum Constantinum Cantacuzenum pertinere, eumque hoc tempore ibidem morari. Lætus igitur Pater eundem honoris causâ salutatum accessit. Inter reciprocas congratulationes vir princeps ex P. Redemptore quæsivit, ubi essent redempti? cui ille, quod res erat, respondit, eos nunc extra oppidum in campo versari, ut ibidem sequentem noctem transigerent. At vir nobilissimus pauperum calamitate permotus disertè testatus est, se haudquam permisurum, ut illi pauperes nunc sub immitti cœlo tectis excluderentur: confessim itaque famulis suis mandavit, irent, & redemptos omnes sine mora in aedes deducerent, eisque necessaria liberaliter suppeditarent; quod & factum est non sine incredibili

1709.

Pater vix elat-  
atur.Quatuor eua-  
rus in fluvio  
invertisuntur.Mulier ex ca-  
su moritur.Duæ puellæ  
aquis hauſtæ  
pereunt.Mirabiliter de  
victu & hospi-  
tio eis provi-  
detur.

1709.

4. Novembris  
obitus S. P. N.  
FELICIS.

Tergovistum  
pergunt Con-  
stantinopoli-  
tani redempti,  
Bukarestō  
Tergovistum  
veniuntur.

51. Redempti  
Constantino-  
poli.

Littera com-  
mendatis eo-  
sundem.

omnium gaudio & consolatione. Sed quòd per totam illam noctem & sequentem diem imbræ nunquam remissâ pertinaciâ terras inundarent, nostri in eodem oppido diem obitûs Sancti Patris Nostri FELICIS VALESII celebraverunt. Cùm verò Princeps Cantacuzenus asseverâisset, se neminem eorum ex oppido dimisjurum, nisi pluviae integrè desinerent, & cœlum ad nativam suam serenitatem rediret, nostros tandem comiter allocutus dixit: sinerent imbræ multis diebus ex alto jucundè ruere, nihil ideo ad liberalem victus sustentationem cuiquam defuturum. Illi verò laudes DEO & gratiarum actiones persolverunt, qui eis post tot calamitates, cùm nihil minus cogitarent, tam opportunum solatum submisisset.

III. Cùm aëris serenitas diuturnis pluviis tandem successisset, & siccato luto vias ad ulteriorem profectionem idoneas reddidisset, recreatis corporibus post gratias summas Principi Cantacuzeno peractas læti Tergovistum, ubi Princeps ipse Valachia Constantinus Bessaraba de Brancovan residebat, profecti sunt. Hic Princeps illos non inferiori charitate excepit, eosque suis sumptibus tam diu sustentavit, donec captivi, Constantinopolitani redempti, Bukarestō evocati, ubi ab adventu suo in Valachiam laute, hospitaliter & dapsiliter habiti fuerant, Tergovistum quoque pervenissent, & cæterorum turmæ sese aggregassent. Numerus autem eorum, qui pecuniis, Constantinopolim transmissis, ibidem libertatem acceperant, yiginti & unum conficiebat, quos inter sex censebantur, qui extrémibus fuerant redempti. Omnia nempe secundum Principis directionem ad vota successerant.

IV. Operæ autem pretium me facturum iterum putavi, si ad historicæ narrationis plenitudinem litteras salvi conductus attexerem, quas hi Constantinopolitani redempti secum attulerant, & barbaro æquè fastu compositæ hunc sensum referebant:

### Locus Signi Imperialis.

*Praestantissimis Judicis, Praefulmque, scientiarum ac facundiæ Fodinis, locorum a Mea Fulgida Porta usque ad fines Transilvanie in via occurrentium Judicibus, quorum præstantie augeantur: Item inter paris conditionis viros prætantissimis aule Prefectis, Janissarorum Ducibus, Provineorū Primoribus & Officialibus, quorum bonos semper accrescat. Cùm hoc Signum Imperiale ad vos peruenierit, notum sit: Exemplar Primarium Gentis in Mesiā credentis Germania Cæsarī ad meam Fulgidam Portam sufficientem Ministrum de Talman mea Fulgida Porta Libellum supplicem porrexisse, & rogasse: ut cum in his partibus a Dominis suis sponte suâ pretiō redemptos quindecim captivos Germanos & ex suis domesticis una cum duabus fœminis & uno infante adhuc tres liberos famulos suos ad patriam remittere statuisset. Ego verò Im-*

Imperiali Mandatō inhiberem: ne quando predictae personae ad cūjuscunque vestrum Jurisdictionem pervenerint, tam in via, quam in diversoriis, iis, eorumque rebus, jumentisque quisquam se ingrat, eos libero transitu arceat, & contra Capitulationem Imperiali tributi exactione, aut alio quocunque praetextu affligat; quod, ut exposito modo observetur, praesentes litterae patentes concessa sunt, quibus vobis supradictis mando, ut juxta meum hac de causa emanans Mandatum operemini, & ad cūjuscunque vestrum Jurisdictionem prefati pervenerint, sit in via, aut in hospitiis, eos, eorumque res, aut jumenta a nemine infestari, vel ab innoxio transitu prohiberi, aut Capitulationum Diplomati Imperiali contraria tributi exactione, aut alio quocunque praetextu ledi, aut molestari sinatis. Ita scitote, & huic meo Signo Imperiali fidem adhibete. Signatum decimis diebus intermediis mensis Receb Annō Hegirae 1121.

1709.

In Custodita Urbe Constantinopoli.

V. Postquam Constantinopolitani redempti Tergovistum pervenissent, adventus eorum ingens excitavit gaudium: quam obrem cum tempus & occasio ulterius iter imperarent (decem siquidem diebus jam Tergovisti hæserant) nostri Principem adiuerunt, eidemque inter supremum vale gratias plurimas pro receptis haec tenus favoribus persolverunt. Ille vero beneficia beneficiis cumulare solitus mandavit, ut decem currus cum necessariis equis prepararentur, qui nostros Orsovam usque ultra confinia Valachiae in Turciam citeriorem deveherent; tres etiam milites viæ duces constituit, eisdemque in mandatis dedit, ut nostris Valachiam transituris apta hospitia providerent, & victualia pro toto agmine affatim suppeditari curarent, & ne aliquid consummatae beneficentiae deesset, idem Benignissimus Princeps P. Redemptori ad sublevandas alias occurrentes necessitates bis centum florinos donavit. Episcopus quoque Tergovisti, quamvis Graecorum schismate a latina Ecclesia dissideret, sui tamen Principis exemplò laudabiliter inflammatus, ut ejusdem insignem charitatem ac misericordiam aliquo modō emularetur, pro redemptis currum pane & vinō onustum submisit, pro Religiosis vero honoris causā quedam regionis illius singularia edulia addidit. Eximia profecto utriusque liberalitas, omni laude ac praeaniō dignissima!

In discessu regis  
lia Principis  
beneficia.

Episcopus  
Tergovisti  
Principis sui  
exemplum  
secutus.

VI. Tantis mactati favoribus ad decimam quintam mensis Novembres reciprocas inter bonorum comprecationes Tergovistō discessere, & molesto plurium dierum itinere Orsovam tandem, urbem in Valachiae & Serviæ confiniis sitam, tertia die Decembres sospites pervenerunt, per omnes vicos, ubicunque diverterant, mandatō Principis hospitaliter excepti, & ab incolis laute ac dapsiliter habiti, Orsovæ remissis Valachorum curribus, alii mercenarii

15. Novem-  
bris Tergovi-  
stō abeunt.

1709.

currus & equi sunt substituti, qui nostros usque ad oppidum Carransebes deveherent. Instabat autem nunc via multo asperior, ut proinde eis necesse fuerit ob impedimentorum multitudinem per varia diverticula ad praestitutum viæ terminum contendere. Omnibus tamen difficultatibus superatis Tibiscum fluvium transfretarunt, & decimâ septimâ mensis Decembris, quæ dies obitu Sancti Patris Nostri JOANNIS de MATHA est memorabilis, Turcarum ditiones egressi simul Augustissimi Imperatoris nostri Dominia feliciter tenuerunt.

Ob pestem  
per 40. dies  
distantur.

VII. Sub idem tempus per Transilvaniam & Hungariam superiorem pestifera lues quotidianis funeribus grassabatur. Ne itaque contagiosum hoc malum latius serperet, Sanitatis Consilium Viennæ Decretum expedivit, vi cuius severissimè cavebatur, ne quisquam ex Tibisci ora appulsus Danubium transire sineretur, nisi cuius valetudo quadraginta dierum morâ in limitibus explorata fuisset. Idem Decretum nostris fuit intimatum, quamvis hactenus nulla infecta, imò nec suspecta loca pertransivissent, & omnes sani ac incolumes, validique conspicerentur. Parensum nihilominus fuit, licet pro tot hominibus alendis immanes sumptus facere oporteret. Subinde Carlovitzum trans Danubium ire jussi ibidem substiterunt usque ad sequentis anni principium, ad quod tempus finem hujus expeditionis differimus.

## C A P U T XXIII.

### *Obitus P. Josephi a Sanctissimo Sacramento: quædam ipsius vitae gesta & virtutes recensentur.*

Idem olim Redemptor ad cœlestem migrat patriam.

Opera sua  
caute legit.

Vir sanctus  
esse creditur.

Nativitatis  
tempus & lo-  
cus.

I. **E**odem tempore, quô præsens Redemptio ad exitum tendebat, alter veteranus ac emeritus olim Redemptor P. Josephus a Sanctissimo Sacramento de corporis ergastulo solutus ad filiorum DEI libertatem, &, ut piè confidimus, ad cœlestem patriam transivit. De ipsius quidem virtutibus & meritis plus hactenus latet, quam ad nostram pervenit notitiam; miris enim modis & artibus subinde usus bona sua & dotes occultare quærebat: unde fiebat, ut in operé bono, quod latere voluit, quandoque deprehensus plus erubesceret, quam alter apertè maleficii convictus. Plerique nostrûm, qui etiamnum vivunt, eumque novarent, ejus pietati & inculpatæ vitæ integritati testimonium perhibent. Adeò autem opinio de ejus Sanctitate concepta invaluit, ut cuncti, quotquot eum familiariùs nōssent, dicere non dubitarent: si P. Josephus vir sanctus non sit, alterum neminem tunc in mundo repertum iri, qui sanctus in vita dici jure possit. Quædam superius de eo sparsim data occasione inseruimus; nunc velut in proprio loco cætera, ut nobis comperta sunt, breviter libabimus.

II. Natus est P. Josephus Elgorriagæ, oppidô Diœcesis Pamplonensis in Regno Navarræ die decima tertia mensis Martii, anno millesimô sexcentesimô quadragesimô quartô. De parentibus ejus

ejus & priore conversatione in vita sœculari propter ejus summam taciturnitatem, partim etiam ob locorum a nobis distantiam nihil certi explorari potuit. Sacrum nostrum Sanctissimæ TRINITATIS Ordinem matura jam ætate, sed matura pariter consideratione amplexus est die decima septima mensis Aprilis anni millesimi sexcentesimi sexagesimi septimi, nempe cum vigesimum tertium vitæ annum jam fuisse supergressus. Memorabant seniores nostri, eum tunc temporis ardenteris naturæ impetu succensum iracundiæ vitiō non modicè laborâsse, quam tamen animi passionem ita domuit, & suppressit, ut de se ipso plenâ victoriâ potitus nulla imposterum præcipiti commotione effervesceret; nullum enim est tam atrox vitium, quod non cum gratia CHRISTI & abnegatione sui ab homine vinci queat. Ad eundem modum alios quoque næuos interiores assidua virtutum exercitatione funditus eradicavit, ut adhuc in tyrocinio constitutus perfecti Religiosi ideam in se exhiberet. Ad solemnam votorum professionem admissus de virtute in virtutem progrediens quotidie se ipso melior evadebat. Studiorum cursum cum fratribus pari conatu, et si non pari felicitate emensus est; solitus de se ipso (quæ erat tanti viri humilitas) ingenuè fateri, sibi ad Scholasticas scientias addiscendas cum invita Minerva durius obtigisse ingenium. Annō millesimō sexcentesimō septuagesimō die vigesima Septembris ab Hieronymo Segoviensi Episcopo Sacerdos ordinatus primum Missæ Sacrificium tanta devotione celebravit, ut eam etiam in circumstantes diffuderit. Finitō sexennali studiorum curriculō solidæ virtutis commendatione obtinuit, ut tyronibus in Scientia Sanctorum erudiendis Magister præficeretur, quo etiam munere in Conventu Barcinonensi summâ vigilantiâ, integritate ac vitæ Sanctimoniarum perfunctus fuit, tenerisque mentibus, Ordinis plantulis, pietatis sensum non tam verbis, quam efficacibüs vitæ suæ exemplis instillavit; per arduam siquidem virtutis viam præcedens tyrones in sui sequelam facile post se abripiebat.

III. Postquam autem hoc officium aliquot annis magna omnium approbatione gessisset, Noster P. Antonius a Conceptione, Sacri Ordinis nostri Major ac Generalis Minister, eum Romam misit, ubi ab anno millesimo sexcentesimo octogesimo tertio per sequens decennium in Cœnobio S. Caroli ad quatuor fontes suæ ac proximorum saluti unicè incubuit, & assiduè in sacro poenitentiæ tribunalí peccata confitentibus aures commodavit. Non potuit tantum lumen sub modio diu latere, quin procul suos radios diffunderet, ideoque Eminentissimus Cardinalis Aguirre ex Ordine S. Benedicti, vir ingenii perspicacissimi, ejus vitæ Sanctimoniarum illectus sibi eundem in secretæ pietatis & conscientiæ arbitrum ascivit: Eminentissimus verò Cardinalis Barberinus eundem quorundam Cœnobiorum Sanctimonialium Directorem & spiritualem Patrem, Visitatorem vocant, constituere voluit, quod tamen ipse munus, utpotè negotiis etiam temporalibüs intricatum, invicta humilitate rejectit, summisque apud Cardinalem precebūs evicit, ut illud alteri committeretur.

1709.  
Ordinem am-  
pleteatur ma-  
tura ætate.

Ardentioris  
iraæ vitiū  
domat,

Votorum pro-  
fessio.

studia.

Sacerdos ope-  
dinatur.

Magister No-  
vitiorum.

Card. Aguirre  
a confessioni-  
bus.

Sanctimonia-  
lium mona-  
sterii præ-  
recusat.

IV.

1709.

Viennam ius-  
fus abire con-  
fessum obtin-  
perat.

De obedien-  
tia dictum  
ejus.

*Prov. 21. v. 28.*

Officia Ordini-  
nis.

Lis mota cir-  
ca legatum  
pro captivis.

IV. In vivis adhuc agente Eminentissimo Aguirre Superiores Ordinis P. Josephum Viennam Austriæ ablegare decreverunt, eō forsitan consiliō, ut in ea nova Ordinis plantatione singularis virtutis & religionis exemplō cæteris facem præferret ac præluceret. Quamvis autem ipse jam ob virium imbecillitatem, debilēmque corporis constitutionem tam longinquum iter facilē excusare, & a se amoliri potuisset, impigrè tamen, & citra ullam tergiversationem obtemperavit; obedientiam siquidem ceu stellam polarē intuebatur: genuino namque obedienti satis est voluntatem Superiorum novisse. Dicere sœpè auditus est, obedientiam unicūm esse & firmissimum Religionis fundamentum & basim, in quo cætera vota, & quidquid ordo virtutis aut perfectionis comprehendit, rectè consisterent. Hanc ipse virtutem, ut per omnem vitam coluit, ita etiam in hac licet ardua occasione alacriter complexus est, certus de veritate illius Divini Oraculi, quod in sacris parœmiis legerat, nempe: *Vir obediens loquetur victorias.* Viam igitur aggressus est sinè socio, & Româ Viennam feliciter pervenit circa medium Autumni annō millesimō sexcentesimō nonagesimō tertio, ac per sedecim annos deinceps ad usque vi- tæ finem sua sancta conversatione nobis eximium virtutis exemplum reliquit.

V. Quamvis autem tot annis hanc Provinciam pietatis suæ radiis illustrasset, pauca tamen Ordinis officia gessit. Primus Praeses Coenobii Illaviensis renunciatus post annum & aliquot menses collectioris vitæ desiderio abdicavit magistratum. Officium deinde Magistri Novitiorum pari ferè temporis spatiō sustinuit, donec tandem in Redemptorem captivorum electus fuisset. Dici non potest, quos ille labores & ærumnas in hoc munere toleraverit, de quibus multa superiùs in Redemptionum historia recensuimus. Sed nihil eum perinde afflixit, ac diuturna quædam lis circa Redemptionis legatum excitata; cum ille non immerito suarum partium crederet, ea, quæ captivis in testamento tabulis adscribuntur, pro viribus tueri. Ea res primò in controversiam, deinde in gravissimam & apertam abivit litem, quæ nunquam fortassis finem habuisset, nisi pacifica partium compositione, licet non modico cum Redemptionis detimento, ad extremum esset sublata. Hæc lis ei plurimarum turbationum causa extitit, coacto sœpenumero diversa percursare tribunalia, ædes causidicorum circumire, & opem fidemque aliorum implorare, quæ omnia religioso ejus, & a mundanis tumultibus abhorrenti genio acciderunt longè molestissima: quamvis autem ei admodum ingrata esset vaga hujusmodi circumcuratio, non tamen propterea pedem retulit, aut segnitus aliquid remissiusque egit, sed contemptis fatigis, æstu, frigore, aliisque cœli injuriis causam captivorum impigrè promovit, cum religioni sibi duceret, si suā inertiam aut cunctatione captivorum jura neglexisset, de quibus sibi supremo Judici aliquando rationem reddendam esse non ignorabat. Alias de domo rarissimè, vel nunquam prodivit, nisi quando ad ægrotorum confessiones audien-

audiendas evocabatur, quorum æternæ salutis & spiritualis solatii erat sicutientissimus: 1709.

VI. Domi verò tempus omne consumpsit in oratione, non ea tantum, quæ ore persolvitur, sed multò magis illa, quæ mente peragitur, cui ut plusculum aliquid indulgeret, multas necessario somno horas subtraxit, adeò, ut vix aliquando dormire notaretur: certè excitator matutinus eum nunquam in cella deprehendit; nostrūm verò nemo eum in lecto jacentem conspexit, præterquām in ejus ultima ægritudine. Ante horam tertiam post mediam noctem in choro quotidie orationem genuflexus incepit, quam rursus stata hora adveniente cum cæteris Religiosis continuavit. Absolutā psalmodiā in suam se celiam contulit, ibidēque ad Missæ Sacrificium se præparavit, donec ad illud celebrandum evocaretur. Reliquum diei tempus, quod ei ab actibus communitatis supererat, in eadem cella sua librorum spiritualium, aut Theologiam Moralem tractantium lectione contribuit. Noctu verò post solitas communitat's preces, dum cuivis licet somno indulgere, ipse usque ad medium noctem orationem frequentius prostraxit: quo tempore, quin noctem aliquam prætermitteret, usque ad sanguinis profusionem tenuis corpusculum flagris cœcidit. Exarserat in quibusdam nostrorum pia curiositas iectus numerandi, quos sibi vir innocentissimus in una flagellatione infligere solebat; clanculum itaque adrepentes, postquām mille jam ac septingentos iectus numerassent, tandem numerandi tædiō superati, re infecta discesserunt, ipsō flagellationem multò diutiūs protrahente. Hinc facile concicere licet, quantum temporis tam strenuo athletæ pro necessaria corporis quiete superfuerit. Sanè lecti ejus stragula ità semper composita fuerunt, quasi ea nunquam attigisset; atque hinc orta est suspicio, cum humifedendo, aut caput in parietem reclinando unam duntaxat, alterāmve noctis horam somno tribuisse.

VII. In cibo & potu tantam servavit frugalitatem, ut mirerur omnes, quomodo victu tam exiguo vitam producere posset: quod si quid sapidius ei velut omnibus cæteris interdum apponерetur, ille hujusmodi bellaria non attigit, ratus hæc non esse naturæ necessaria. Diebus recreationis, dum alii ad animi levamen congregati honesto lusui indulgent, aut colloquiō animum laxant, ipse consuetum extra tempus nunquam comparuit, sed in cella, vel in odeo spiritualibus exercitiis incubuit. Prætereā Disciplinæ Regularis fuit exactissimus custos, ita quidem, ut nec minimam Ordinis cærimoniam, vel sanctam aliquam consuetudinem unquam notatus sit violasse. Dum ex urbe peractis negotiis tempore orationis mentalis, aut sub alio communitat's actu ad cœnobium redivit, quamvis a via fessus, aut aliis cœli iuriis inclementer habitus, omnium tamen necessitatum suarum immemor fervente spiritu ad ea statim properavit, quibūs tunc communitas distinebatur. Sensuum externorum & internorum custodiæ perpetuò invigilavit, ne aliqua creatarum rerum species eum in Creatoris sui amore, vel unione interpellaret; Divinis

A a a a a

figui-

Somno pa-  
rum temporis  
concedit.Pietatis exer-  
citii.Omnibus no-  
ctibus flagela-  
tis in se ani-  
madvertis.Victus parcit  
amus.Tempus re-  
creationis spi-  
ritualibus tra-  
dit exercitiis.Legum obser-  
vantissimus.Sensuum cu-  
stodia.

1709. siquidem contemplationibus cor suum adeò immerserat, ut de nulla re alia cogitare videretur, quæ de DEO, aut de iis, quæ ad DEI servitium pertinent.

*Paupertas  
eius.*

*Animo sereno  
semper.*

*Charitas erga  
proximum.*

*Humilitas.*

*Sui ipsius co-  
gnitio.*

*Vita peni-  
tentia.*

*Sui contem-  
ptus amator.*

*Ab ipsa hu-  
militate sibi  
metuebat.*

VIII. In virtute Evangelicæ paupertatis singulariter enuit, ut potè qui non modò rem nullam etiam minimam sibi unquam in proprietatem vendicavit, sed ne affectum quidem ad res creatas retinuit. Si quid pro suo usu eligeret, erat cæteris deterius, & ut verus CHRISTI pauper in sui ipsius despectu vel maximè gaudebat. In vultu ejus, & oculis nunquam notabatur mœstitia, sed frontem semper serenam præseferendo interiore animi serenitatem indicabat. Comis fuit erga omnes, & affabilis; in delicis habuit afflictis solatum impertiri: ad charitatis opera præstantia promptus & sollicitus, ex Divini amoris instinctu auditus est aliquando dicere: *Qui amat DEUM, diligit & proximum.* Et quemodò amat DEUM, qui odio habet proximum, quem a DEO novit esse creatum. Pari modò in omnibus aliis ejus colloquiis elucebat pietas, dulcedo doctrinæ, & vitæ sanctimonia: vir verè venerabilis, cuius dicta, factaque nobis rectè vivendi regulam, normamque suppeditant.

IX. Humilitas, animi demissio, eique cognatus suimetipsius contemptus, altissimas in illo egerant radices; harum enim virtutum adminiculò subjiciebat, & vincebat seipsum, quæ victoria omnium est maxima. Nunquam reflectebat ad ea, quæ laudatè, sancteque peregerat, sed animæ suæ nævos continuè habebat ante oculos, qui licet fuerint minimi, aut nulli, eos tamen ita exaggeravit, ut se maximum omnium peccatorum crederet poenas inferni promeritum. Collaudabat quotidie DEI misericordiam, quæ, ut ipse putabat, ejus peccata tam longanimiter sustinebat, & ad pœnitentiam invitabat, quam ipse tamen toto religiosæ vitae suæ tempore egit rigidissimam. Sensus omnes suos sollicitè refrænavit, perpetuaque pugnâ contra seipsum decertavit: satim nimirum gnarus hominis inclinationes ex natura corrupta in malum esse proclives. Hinc tot suscepit jejunia, toties obarmatus cilicio, etiam flagellis in suum corpus animadvertisit, ut illud spiritui integrè subjiceret. Oculos in publico vix aperit; linguam non nisi ad Divinas Laudes, vel in spiritualia colloquia solvit; cæterum paucorum erat verborum, idque præprimis cavebat, ne sibi verbum otiosum, aut contra charitatem proximi elaberetur.

X. Ex profundissima ejus humilitate ortum habuit mira quædam de se ipso diffidentia, assiduusque timor, quô omnia sua opera verebatur: nihil sibi virtutis inesse autumabat, cui etiam minimi nævi displicebant sic, ut inde culpas & defectus suos agnosceret, nec quidpiam bene se unquam operatum fuisse existimat. Imò ne se satim humilem esse rebatur, nisi ab ipsa humilitate sibi metueret; semper nimirum sollicitus, ne vanæ gloriæ vermis universum virtutis fundamentum corroderet, subrueretque. Dicebat se superbum, & elatum, & contemni amabat. Sæpius etiam avidè quærebat occasiones proprii contemptus aucupandi, casque ceu debitas suis peccatis poenas libens amplectebatur. In pœni-

pœnitentiae tribunali, cùm vix sufficiens inveniretur absolutio-  
nis materia, dolor tamen peccatorum notabatur intensissimus.  
Officia quæque humiliam libenter admittebat, magnaque volup-  
tate peragebat, quæ quantò plus incommodi afferrent, tan-  
tò erant ei gratiore, tantoque majus inde solatium capiebat. Pul-  
verem & cinerem, ac creaturam se miserabilem, omnibus reple-  
tam imperfectionibus agnoscebat, & fatebatur: Fratrum autem,  
& proximorum nemo erat, quem non magni faceret; hinc cui-  
vis se submittebat, cujuscunque virtutes vel merita suspiciebat,  
& exaltabat. Omnes amabat, neminem offendebat, omnibus se  
in opinione sua postponebat, & omnes se meliores ex animo sen-  
tiebat, atque adeò precibus eorundem se commendabat, quasi pec-  
catorum omnium maximus foret, sed nunc tandem aliquando ad  
seram conversionem, & agendam pœnitentiam aspiraret. Hæc  
itâ clarè in eo conspiciebantur, licet ipse taceret, & occultare ni-  
teretur, ut in omnibus ejus actionibus velut in quadam imagine  
repræsentarentur.

XI. Sanctissimam TRINITATEM Maximum Sanctæ Fidei  
nostræ Mysterium, & Gloriosissimum Sacri Ordinis nostri Titulum  
ferventissima devotione coluit, solitus magnam diei noctisque par-  
tem ejus laudibus celebrandis consecrare. Creaturas omnes tum  
præteritas, tum præsentes, tum futuras, imò & possibiles ad ejus-  
dem Divinissimi Mysterii infinitam gloriam prædicandam convo-  
cabat, invitabatque. Eidem omnia sua verba, opera, cogitatus  
meritis Domini nostri JESU CHRISTI, Ejusque Virgineæ, ac  
mellitissimæ Matris MARIAE, ac omnium Sanctorum unitos offe-  
rebat, ut ex quodam ejus codice manuscripto, de quo inferius  
dicendum veniet, luculenter cognoscere licet. In secretis medi-  
tationibus, dictis & scriptis sibi familiare fecit sequens elogium:  
*Tibi infinita laus, infinita gloria, infinita gratiarum actio in sempiter-  
na secula O! Beatisima TRINITAS.* Hoc, ut interiore quodam  
cordis affectu, & spirituali gaudiò exprimebat, itâ etiam majore  
ac elegantiore charactere scribebat.

XII. Sanctissimum Eucharistiæ Sacraumentum, ut unicum  
ejus erat solatium & spes, itâ quoque in omnibus suis miseriis ma-  
gnâ fiduciâ ad illud confugiebat, & ab eo opem sperabat. Hoc  
autem Divinissimum Mysterium maximi semper faciebat, tanquam  
beneficium, quô majus excogitari requiret, cùm in eo CHRI-  
STUS, DEUS & Homo in proprio corpore & sanguine per Sa-  
craumentum communicetur hominibus, & ut Doctor Angelicus  
inquit: *Nullum etiam Sacraumentum est istò salubrius, quô purgantur  
peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charisma-  
tum abundantia impinguatur.* Suavitatem denique hujus Sacraimenti  
nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gu-  
statur. Ideoque nulla die, etiam cum in terris infidelium dege-  
ret, & quamvis diu esset expectandum, ineruentum Missæ Sacrifi-  
cium celebrare neglexit, quod tanto devotionis ac reverentiae sen-  
su litare consueverat, ut verba inter sacrificandum prolata velut  
ignium flammæ non tantum ex ore, sed etiam ex intimis cordis

1709.

Libenter am-  
plexitur hu-  
milia officia.Erga fratres  
exultatio.SSS. TRINI-  
TATIS ex-  
mias cultor.Erga SS. Eu-  
charistiam de-  
votio.S. Thomas  
opusculi 57.Missæ sacrifi-  
cium devotif-  
sime celebra-

1709. penetralibus prorumpere viderentur. Ante aram, ubi Venerabile hoc Sacramentum asservabatur, quotiescumque poterat, flexis genibus procumbebat, ibidemque suas devotiones ingenti fervore persolvebat: sèpè sèpiùs ex professo vel ex odeo, vel in ipso templo Sanctissimum Sacramentum Altaris visitavit, adoravitque, & hanc devotionem inter multas alias præcipuò studiò excoluit. Summa & possibilis requiritur puritas in hoc Sacramento suscipiendo.

*Cultus B. Virginis.*

*B. Virginis  
prærogativas.*

*Sancti alii &  
ejus Patroni.*

XIII. Porrò, quo cultu, quam successo devotionis ardore Augustissimam Sanctorum omnium, cœli terræque Reginam, dignissimam DEI Matrem MARIAM veneratus fuerit, vix verbis exprimi potest. Dies, cum viveret, defluxit nulla, quam non statutum orationis pensum, ceu quoddam pietatis tributum, charissimam Dominæ Patronæque suæ offerret. Hanc ille semper fermè in ore, & in corde habuit. Ejus meritis & intercessionibus se frequenter commendavit, cultum ejus & venerationem, ubicunque poterat, hominum mentibus implantavit, ejus prærogativas & excellencias mirò cordis jubilo prædicavit, omnes denique suavissimis verborum illiciis ad tantæ Reginæ & Imperatricis amorem inflammativit. Ipse anniversarias ejus solemnitates tum publicis, tum privatis pœnitentiae operibus præveniebat. Festa illius tam insolita mentis exultatione obibat, ut etiam in reliquis spiritualem lætitiam excitaret. Congratulabatur pretiosissimæ orbis terrarum margaritæ, quod sine originali labe concepta, & ex omnibus etiam possibilibus creaturis pro DEI Matre electa CHRISTUM Redemptorem nostrum in salutem humani generis pepererit Virgo, eundemque, quem genuerat, adoraverit; quod Angelorum & Sanctorum omnium Regina omnium creaturarum merita superaret, esset Primogenita æterni PATRIS Filia, dignissima Mater unigeniti FILII DEI, Nobilissima SPIRITUS SANCTI Sponsa, ac totius Sanctissimæ TRINITATIS nitidissimum Triclinium, Templum & Sacrarium: miserorum omnium refugium & Mater Piissima, per cujus intercessionem gentes veniunt ad pœnitentiam, Sancti ad gloriam, & nemo mortalium perit, qui ejus serio implorat auxilium.

XIV. Sanctum JOSEPHUM, Castissimum DEIPARÆ Virginis Sponsum CHRISTI FILII DEI Nutritum, præterea Angelum sibi constitutum Tutelarem, & omnes Sanctos cœlestis Curiae cives velut Patronos venerabatur, & ardentissimo eosdem complectebatur amoris affectu, multam in eorundem patrocinio ponebat fiduciam, quos non ignorabat esse intimos DEI amicos & potentes intercessores miserorum mortalium, qui in naufragiis hujus mundi fluctibus variis tentationum procellis graviter instantur, & per sexcenta pericula ad æternum immortalitatis sum tendunt.

XV. Pleraque ex iis, quæ nunc retulimus, reperiuntur in codice trium & quadraginta foliorum propria ipsius manu conscripto, qui post pretiosam ejus mortem furtim subtractus diu in aliorum manibus hæsit, donec tandem fortuito casu iterum comparuisset. Libellus iste, si materia in eo contenta spectetur, *Soliloquiorum* titulō jure insigniri posset, in quo ea duntaxat litteris consignavit, quæ ad cognitionem propriæ misericordiæ, & ad Laudes Divinæ Majestatis, ejusque Sanctissimæ ac intemeratæ Virginis Matris MARIAE pertinent, ubi etiam sequentia notabilia verba in modum precationis leguntur: *Misericordissime DEUS!* per tuam infinitam Bonitatem & Clementiam instantissimè Te rogo, ne permittas, ut permaneam in solis affectibus & desideriis, verbis & propositis inefficacibus; sed cum tua Gratia me sic adjuva, ut de illis ad bona opera transeam, & omnes interiores & exteriores vires in tui amorem & obsequium impendam, cum amor consistat in operibus, & non in solis rationibus.

XVI. In eodem libello contra spiritus tepiditatem se præmunire cupiens lectionem sibi præscribit, quæ cùm superiora dicta confirmet, atque non paucas sanctioris vitæ regulas comprehendat, plura ex eodem loco ad nostram doctrinam, nihil mutato stylò decerpere volui. Audire libeat nunc itaque eum secum loquentem: „P. Magister Avila ad quendam religiosum virum scribens ita differit: omnes sibi caveant a tepiditate, sed magis senes, quam juvenes, quia illorum vitæ terminus magis est propinquus; caveat senex, ne perdat in senectute, quod juvenis lucrificet, ideoque dicit S. Matthæus: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et S. Zacharias: *In Sæculis & Justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Igitur cùm sexaginta quinque annos ætatis meæ compleverim, dum hæc scribo, & valde infirmis naturæ viribus, dependeátque ab hac ultima parte vitæ meæ (quæ necessariò brevis erit) æterna mea salvatio, vel damnatio, si non velim esse totaliter amens, & destitutus judiciò, parùm vitæ, quod restat, in servitio & DEI amore impendere debeo, præsertim cùm tempus vitæ præteritæ male perdiderim, cognosco me quadraginta tribus annis in Ordine vixisse, quin aliquam perfectè sim consecutus virtutem: superbus sum, plenus proprio amore ac voluntate, absque mortificatione, sive recollectione, continuè distractus; quod licet ad magnam meam sit confusionem, puram tamen dico veritatem. Fateor dum oro mentaliter, dum recito Divinum officium, dum celebro Missæ Sacrificium, vel alias meas perago devotiones, & reliquum, quod ad DEI servitium pertinet, id omne facio continuè distractus, negligenter & irreverenter. Ideoque justissimè & graviter vereor, ne me plenè comprehendat, quod CHRISTUS apud Matthæum inquit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est a me.* Et Jeremias: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Et in Psalmis: *Cum accepero tempus, ego justicias judicabo.* Et pro bonis operibus male peractis mihi per longum tempus in piacularibus

1709.

Codex ejus  
manuscriptus  
furtim abla-  
sus denouo in-  
venitur.

Contra spiri-  
tus tepidita-  
tem se pra-  
munit.

Matth. 10. v.  
22. Zach. in  
cant. Luca 1.  
Annorum 65;  
hæc scribit.

Suas culpas  
confitetur.

Matth. cap.  
15. v. 8. Je-  
rem 48. v. 10.  
Psal. 74. v. 3.

B b b b b

flam-

1709.

Proposita.

„ mis sit luendum, nisi DEUS per infinitam misericordiam suam  
 „ propter intercessionem Beatissimæ Virginis MARIÆ, S. JO-  
 „ SEPHI, Angeli mei Custodis, & Sanctorum id mihi condonet.  
 „ Propterea in tot culparum & miseriarum conspectu, id totum  
 „ ad emendationem facere desidero, quod possum, & debo: in  
 „ DEUM confisus, & ejus gratiâ adjutus deinceps cum toto rigo-  
 „ re sequar vitam regularem, actibus communitatis assistam ex-  
 „ acte, nunquam de cella prodibo, nisi ab obedientia compulsus,  
 „ vel ex charitatis necessitate; sacras nostras leges punctualiter  
 „ observabo, assiduus ero in purificando corde meo, locum non  
 „ dabo cogitationibus inutilibus, otiosis & vitiolis; orabo menta-  
 „ liter, recitabo Divinum officium & preces meas attentè, reve-  
 „ renter, & cum devotione possibili. Me interius recolligam,  
 „ quotiescumque me foris invenero; quod præsertim procurabo  
 „ in principio cujuscunque Psalmi Horarum Canonicarum: &  
 „ super omnia curabo, ut Missæ Sacrificium, ut decet, celebrem;  
 „ ad illud me præparabo meliore, quô scivero, vel potuero, mo-  
 „ do: ad aram consistens medium horam impendam, atque aliam  
 „ medium horam in agendis gratiis Divinæ Majestati pro tanto  
 „ beneficio. Laborabo in subjiciendo meo judicio alteri in rebus  
 „ omnibus licitis, multis vicibus per diem abnegabo meam pro-  
 „ priam voluntatem, quamvis sit in rebus minimis; refrenabo  
 „ meam indomitam linguam, mortificabo gulam, acquirere stu-  
 „ debo veram humilitatem, perfectam charitatem & reliquas vir-  
 „ tutes. Totum meum studium impendam, ut semper in DEI  
 „ præsentia verser, & ut hoc donum gratiæ ita ad perfectionem  
 „ necessarium melius consequar, consuetudinem mihi inducam  
 „ DEO quodlibet in particulari bonum offerendi, dicamque: id  
 „ operor Domine, quatenus tibi placeam, & per manus JESU,  
 „ MARIÆ & JOSEPHI unitum cum meritis eorum & omnium  
 „ Sanctorum, & ut hoc facio, ita vellem pro te vitam profun-  
 „ dere. Semper dum in cella morabor, sive sit de die, sive sit  
 „ de nocte, & audivero in cœnobio horæ sonitum, absque omni  
 „ defectu, nisi decumbam in lectulo, immediatè genuflexus reci-  
 „ tabo semel salutationem Angelicam, ad lucrandas mille anno-  
 „ rum Indulgentias, & sequentes actus eliciam, & ad quemlibet eo-  
 „ rum terram osculabor: *Pater de cœlis DEUS, miserere nobis.*  
*Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Laudamus te, benedici-  
 mus tibi, adoramus te, glorificamus te, gratias infinitas agimus tibi pro-  
 pter infinitam Bonitatem tuam, propter infinitam Gloriam tuam, propter  
 infinitas perfectiones tuas, & propter omnia & singula beneficia mibi &  
 aliis omnibus exhibita. His de DEO Filio & Spiritu Sancto repe-  
 titis & applicatis alios virtutum actus singulis horis addidit, quos  
 propter prolixitatem referre supersedemus.

Ad Misse Sac-  
rificium præ-  
paratio.

XVII. Alia ibidem scribit circa præparationem ad celebran-  
 dum Missæ Sacrificium: omnia verò ad amissim eum observasse,  
 nobis, qui eum diu noveramus, exploratissime constabat; quo-  
 tiescumque enim repente e cella evocabatur, quasi semper genu-  
 flexus reperiebatur, nisi ipse januae motum notasset; tunc enim  
 cele-

1709.

celeriter surgebat, ne humi procumbens deprehenderetur, ac indē vanæ gloriæ venenō inficeretur. Requisitus ad Missæ Sacrificium celebrandum, e vestigio relictis omnibus obsecutus est vocanti. Cellam tunc egressus in via nulli loquebatur, aut si de rebus necessariis interrogaretur, se paucissimis verbis expediebat, magnoperè cavens, ne mentis evagationibus causam præberet, quibus frequenter se molestari conquerebatur. Celebravit autem Missæ Sacrificium omni possibili attentione, devotione, reverentiâ & humilitate, ut in ipso celebrandi modo ostenderet, se velle, & efficitim discupere ex tanto Sacrificio gratiam & spiritualem fructum decerpere. Reliquum a peracto Sacrificio tempus ut plurimum expendit in gratiarum actionibus, & consuetis virtutum exercitiis.

## C A P U T XXIV.

*Præparatio ad mortem, & ex hac vita transitus  
P. Josephi.*

I. **V**itam suam ex mortis meditatione, quæ vera est Philosophia, sic ordinaverat, ut assiduè in omni virtutum genere se exerceret, præsertim in DEI amore, humilitate, poenitentia, Fide, Spe, & Charitate; noverat enim supremam Christiani hominis esse felicitatem, mori feliciter, & ut alter nonnemo rectè persuaserat, morte beata nihil esse beatius. Perspiciebat ipse declivem ætatem suam ad exitum properare, oculos caligare, vires corporis magis quotidie deficere: cum vero, quæ erat animi ejus demissio, se parum adhuc in spiritu profecisse crederet, de futuro sollicitus, quatenus se tanto exactius ad felicem & beatam mortem compararet, sequentes in suo libello sibi præscripsit regulas, quas hic adne&tam, ut pariter nostræ instructioni deserviant. Ipsius met verbis utar: „Quotiescumque me DEUS graviægritudine visita-„ verit, in principio statim peccata mea confitebor. Si morbus „processerit, instanter rogabo Medicum, ut quamprimum co-„ gnoverit, versari me in periculo, mihi statim significet, vel ad „minus disponat, ut mihi Sanctissimum Eucharistiae Sacramen-„ tum pro viatico ministretur, & idem ego, ut obligor, a meis „Superioribus serio expetam. Recepto viatico, si melius me „non habuero, faciam omne possibile, ut quantocitius mihi quoq; „Sacramentum extremæ unctionis impertiatur. Desidero namq; „mori Sacramentis munitus & confortatus cum tempore, quo-„modo, & quando fieri debet, id est, antequam ad extremum „perveniam articulum, quando sanum & perfectum est adhuc „judicium. Et ex nunc per intercessionem Beatissimæ Virginis „MARIÆ a DEO meo hanc mihi concedi gratiam oro. Prius „vel posteaquam recepero extremæ unctionis Sacramentum „rogabo Patrem mihi a confessionibus, vel in ejus absentia alte-„rum, cui aliis vicibus fueram confessus, ut, dum loquelâ fuerim „destitutus, me aliquoties visitet, manumque mihi tangat, & si „dederо ipsi signum, idem erit ac dicere, velle me confiteri, &

Ex eodem cor-  
dice modus,  
quo se dispo-  
nit ad bonam  
mortem.

1709. „ si deinde secunda vice idem signum dederō, erit idem ac dicere,  
 „ me habere Sacramenti materiam in his, quæ alijs vicibūs fuc-  
 „ ram confessus, & quòd me accusem de omnibus aliis culpis  
 „ gravibus & levibus usque ad illud præsens commissis, & doleam,  
 „ me DEUM meum offendisse, mēque firmissimè proponere e-  
 „ mendationem, atque petere pœnitentiam & absolutionem. Id  
 „ mature præveniam, & exoratum habebo, ut toties, quoties in  
 „ tempore necessitatis mihi Sacerdos manum presserit, idem apud  
 „ me sit, ac ex toto corde Sanctissima Nomina JESUS, MARIA,  
 „ JOSEPH pronunciare. Hac factā diligentia cum tota mente,  
 „ corde, & affectu Sacratissimum Vulnus lateris Domini mei JE-  
 „ SU CHRISTI ingrediar, & ibi continuè orabo, & me occupa-  
 „ bo, & ibidem a Sanctissima TRINITATE aliquoties plenam  
 „ quoad culpam & pœnam meorum peccatorum veniam sup-  
 „ plex orabo; item ut DEUM meum nunquam offendam, ut  
 „ bona mihi sit mors; & quando Sanctissima ejus fuerit volun-  
 „ tas, ut me hac de miserabili vita liberet. Hoc petam per ejus  
 „ infinitam Bonitatem, Pietatem, Misericordiam & infinitum A-  
 „ morem, quem erga nos habet. Alijs vicibūs idem obsecrabo  
 „ per infinita ipsius merita, per merita Beatissimæ Virginis MA-  
 „ RIÆ, S. JOSEPHI, & omnium cœlestis curiæ civium, speciali-  
 „ ter meorum Patronorum, quos sæpenumerò invocabo, & im-  
 „ plorabo instantissimè specialem eorum assistentiam, velut etiam  
 „ intercessionem continuam S. Angeli mei Custodis, potentissi-  
 „ morum Arch-Angelorum SS. Michaëlis, Gabrielis & Raphaëlis,  
 „ atque omnium aliorum Angelorum & cœlestium Spirituum,  
 „ Eliciam frequentiùs cum fervore actus Fidei, Spei, Charitatis  
 „ & Amoris DEI super omnia, perfectæ contritionis & veri do-  
 „ loris omnium meorum peccatorum cum firmissimo proposito  
 „ DEUM meum nunquam amplius offendendi; resignationis &  
 „ & conformitatis cum DEI sanctissima voluntate, atque alias  
 „ actus juxta interiorem impulsu & occurrentem necessitatem;  
 „ sed actus supra expressi erunt mihi præcipui & communes. In  
 „ hora mortis maximè præcavebo, ne me ad replicas cum dæ-  
 „ mone intromittam; nam cum ipse sit pessimus hostis, astu-  
 „ tus & malignus, ne me similiter decipiat, velut alios incautos  
 „ & præsumentes decepit, qui in ea hora cum eodem discepta-  
 „ verunt, ideo eum non respiciam, sed despiciam, contemnam,  
 „ & opprobriis afficiam, eundem imperiose in potentissimo JE-  
 „ SU Nominis abigam, ut obmutescat, & ad infernum, locum si-  
 „ bi debitum, præcipitetur, & ibidem sempiterna tormenta  
 „ patiatur. Ille quamvis me falsis apparitionibus molestare in-  
 „ ciperet in angelum lucis se transformando, denuò ipsum despici-  
 „ iam, & malignum novis opprobriis confundam, atque in mei  
 „ nihili cognitione perseverabo, cum sciam, me id non mereri, nec  
 „ ad salvationem meam visiones esse necessarias, benè autem in-  
 „ tercessionem & auxilium JESU, MARIAE, JOSEPH, & S. An-  
 „ geli mei Custodis. Et quamvis mihi apparuerit per signa qua-  
 „ si evidenter, tales visiones esse veras & cœlestes, non tamen eas

*Modus elec-  
tandi dæmo-  
nis astus.*

ad-

„ admittam, sed ut a me recedant, operam dabo; cùm sim cer-  
 „ tus hanc resistentiam DEO non displicere, qui humilibus dat  
 „ gratiam, & ab illis non recedit, qui in actibus humilitatis se oc-  
 „ cupant. Dum in illa hora dæmon mihi suggesteret, vel fortè mi-  
 „ himetipſi occurret dubium circa sanctam nostram Fidem, quia  
 „ caput mihi debile atque lassatum, vel sensus erunt turbati, &  
 „ consequenter ad discurrendum inepti, nec dæmonem, nec me-  
 „ ipsum audiam, sed firmum mihi sit, ac evidens, quod sanus &  
 „ cum perfecto judicio pro firme & infallibili tenui, hinc imme-  
 „ diatè ac cæcè protestabor, me firmissimè credere in DEUM meum,  
 „ atque in id omne, quod credit Sancta Mater Ecclesia Catholica  
 „ Romana, & in hac fide me vivere ac mori velle, quamvis in  
 „ ejus confessione & defensione omnem meum sanguinem pro-  
 „ fundere sit necesse. Si malignus spiritus aggredietur me cogi-  
 „ tationib⁹ vanæ gloriæ, præsumptionis & propriæ complacen-  
 „ tiæ, subitò ante oculos meos gravissima mea ponam peccata,  
 „ ob quæ meritus sum in infernum præcipitari: reducam pariter  
 „ in memoriam, & cum pura veritate fatebor, me nunquam in  
 „ vita bonum aliquod opus fecisse bene & perfectè, sed omnia  
 „ plena fuisse distractionib⁹ & imperfectionib⁹. Quinimò et si  
 „ multa bona opera fecisse bene & perfectè, fatuus, & judiciò  
 „ essem destitutus, si de iis vanam gloriam, præsumptionem aut  
 „ propriam complacentiam conciperem; & cùm sit omne donum  
 „ perfectum defusum descendens a Patre luminum; nec sufficientes si-  
 „ mus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra  
 „ ex DEO est. Itaque non me opera mea salvabunt, sed infini-  
 „ ta Bonitas & Misericordia DEI, Intercessio & merita ejus San-  
 „ ctissimæ Matris, S. JOSEPHI, & S. Angeli mei Custodis, item  
 „ aliorum Sanctorum Angelorum, & Sanctorum meorum Patro-  
 „ norum sunt meæ salvationis causa. Si ex adverso dæmon ad  
 „ desperationem me voluerit inducere, revocabo ad memoriam  
 „ infinitam DEI Bonitatem, Pietatem, & Misericordiam, infini-  
 „ tum ejus Amorem & desiderium, quō nos vult salvare, quia  
 „ propterea voluit in cruce morte quidem opprobriosissima mo-  
 „ ri: reducam pariter ad memoriam infallibiles promissiones, qui-  
 „ būs DEUS nos de sua gloria securos reddit, & salvari cupit  
 „ omnes verè poenitentes, qui confidunt & sperant in eum. Si  
 „ tempore, in quo mihi sublata erit loquela, me infernalis ille  
 „ draco cum peccatis vitæ præteritæ molestet, sciam quod per eo-  
 „ rum confessiones directè, vel indirectè mihi fuerint remissa, &  
 „ quamvis non essent remissa, & in eo articulo multa millionum  
 „ millia mihi essent mortalia & enormissima peccata & quamvis  
 „ non essem validè baptizatus, solummodo unicus actus amoris  
 „ DEI super omnia, & unicus actus perfecti doloris & contritio-  
 „ nis, qui actualiter habet imbibitum desiderium & propositum,  
 „ dum possit, recipiendi necessaria Sacraenta, omnia & innu-  
 „ merabilia, si haberem peccata, mihi condonabuntur, restituet  
 „ me gratiæ & amicitiæ DEI, & salvabor. Cum hac scientia &  
 „ fide multos actus amoris DEI, & perfectæ contritionis eliciam,

CCCCC

inde

Epist. 3. Jacobi  
 cap. 1. v. 17.  
 S Paulus 2, ad  
 Corinths. cap.  
 3. v. 5.

1709.

„ indè totaliter mea quiescat conscientia, nec curabo dæmonem :  
 „ convertam potius oculos ad DEUM meum, & in ejus sanctis  
 „ simam voluntatem me totum quantum resignabo, & nunquam  
 „ ab ea me separabo ; dicam in ejus Bonitatem & Misericordiam  
Psal. 50. v. 1.  
3. 10. Luca  
18. v. 13.  
Psal. 30. v. 6.  
 „ integrè confidens : *Miserere mei DEUS secundum magnam Mi-*  
 „ *sericordiam tuam. Amplius lava me ab iniuitate mea, & a pecca-*  
 „ *to meo munda me. Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes*  
 „ *iniuitates meas dele. Domine propitius esto mibi peccatori. Opus*  
 „ *manuum tuarum ne despicias. In Te Domine speravi, non confun-*  
 „ *dar in æternum. In manus tuas Domine commendō spiritum meum.*  
 „ Et in his verbis per purissimas manus Beatissimæ Virginis MA-  
 „ RIÆ, S. JOSEPHI, S. Angeli mei Custodis & aliorum Sancto-  
 „ rum meorum Patronorum tradam animam meam Creatori meo,  
 „ Redemptori & Salvatori. Haec tenus ille vir pius & humilis,  
 „ qui se ad æternitatem comparans soli DEO vivere, ac eidem  
 „ uni mori studebat.

Morem suam  
prævidit.

II. Mense Septembri, dum fructus ferè omnes ad maturitatem pervenient, & terram versus inclinantur, ut in promptuaria colligantur, placuit quoque Divinæ Majestati P. Josephum nostrum consolari, & per infirmitatem, instantis transitūs prænuntiam, ex hoc mundo ad coeleste promptuarium evocare, ubi sine fine suorum laborum præmium recepturus, ut piè credere licet, cum DEO in sempiternum gauderet. Accidit paucis ante ultimam ejus ægritudinem diebus, ut alter P. Josephus a JESU MARIA, eo tempore Viennensis Cœnobii Minister Comaromium in Hungariam proficiisci statueret, negotia, quæ tunc occurrerant, ibidem peracturus. Pridie quām eò discederet, post horam quintam vespertinam, dum Religiosi congregati in choro mentali orationi vacant, necesse habuit P. Josephum a Sanctissimo Sacramento de choro evocare, quod dum per signa ob inviolabilis silentii legem ipse P. Minister exequitur, observavit eundem in spiritu vehementer absorptum. Jussus prodire, confessim paruit, egressusque fuit, ast facie præter morem rubicunda, ut totus ardere videretur. Hunc paucis de re proposita allocutus P. Minister, nullum aliud a viro venerabili responsum obtinuit, præter hæc sola verba : *Ergo nos non amplius videbimus.* Quæ ipse quidem aliquoties repetiit. Pater tamen Minister, quid illis innuere vellet, non priùs intellexit, quām Comaromiō redux eum jam sepultum didicisset. Indè ipsi, & nobis conjicere pronum fuit, P. Josephum ex Divino commercio, cui assuetus erat, de suo ex hac vita transitu vaticinatum fuisse.

Alla futura  
prædixit secu-  
to eventu.

III. Sed & alia plura eum prædictis nusquam aberrante eventu crebrius observavimus ; Illaviensis siquidem cœnobii nostri desolationem, cùm in eodem Præsidis officiō fungeretur, aliquot annis priùs præfigivit, quām reapse accidisset, uti nos ipsi audivimus, & posteà vidimus eventum. Nec minore admiratione dignum, quod P. Michaël ab Assumptione, qui hodiecum nobiscum vivit, ab ipso sibi prænunciatum fuisse testatur ; etenim cùm ille anno millesimō sexcentesimō nonagesimō octavō resignatā

Con-

1709.

Conventū Posoniensis præfecturā obfirmatō animō Hispaniam repetere constituisset, nullisque suasionibūs se ab hoc proposito amoveri pateretur, P. Josephus ei disertè vaticinatus est, ipsum in Hispania multas tribulationes, calamitates & ærumnas perpessurum, quamvis earum tunc temporis nec suspicio quidem apparet, undénam hæ calamitates suboriri possent, quas tamen bene multas & magnas idem P. Michaël propter secutam in Hispania Regni mutationem sustinuit, utpote, qui ab adversæ factionis studiis non solùm magnis persecutionibūs exagitatus, verùm etiam in Pampelonensi castro squalidum & tenebrosum carcerem pro Serenissimo Nostro CAROLO III. Austriaco Hispaniarum Rege cum aliis subire, ibidémque diu hærere coactus fuit, ac præterea quotidie pejora metuere debuit. Huic simile est illud: cùm hic idem P. Josephus ob adversam valetudinem, quâ tunc conflictabatur, ad tertiam Redemptionem peragendam profici sci nequiret, atque a deo, ut superiùs indicavimus, necesse esset alteri Religioso ejus vi ces demandare, ille nobis audientibus disertè testatus est; P. Vicarium Cœnobii Viennensis, cui Superiores illud munus impo fuerant, graves ærumnas passurum, ipsámque Redemptionem lente admodum processuram. Quæ omnia, sicut prædixerat, ita prorsus evenerunt.

IV. Sed ut ad ea revertar, unde digressus fui, paucis nunc piissimum ejus obitum commemorabo. Ultima die Septembbris ægrius habere cœpit: die sequenti communem vitam adhuc secutus haud obscura indicia prodidit gravis infirmitatis, ideoque Iesus est in cella manere. Postea accersitō Medicō eundem serio monuit, ut si aliquod vitæ periculum animadverteret, se absque ullo metu, vel procrastinatione certiore faceret: ille autem ex arteriarum pulsu quamvis satis agnosceret, statum infirmi non vacare periculō, eumque calidis febribūs torqueri, respondit tamen, tempus ad suscipienda Sacraenta abunde superfuturum. Ast P. Josephus in tempore tempus antevertere cupiens, quemadmodum sibi pridem proposuerat, sacra exomologesi animam expiavit: testatus est autem Sacerdos, in cuius auribus confessionem suam deposuerat, cùm ipse vix sufficientem aliquam absolutionis materiam invenisset, ejus tamen dolorem fuisse vehementissimum. Invalescente deinde ægritudine, & viribūs corporis magis indiēs labientibūs sacrum viaticum sibi adferri instantissimis precibūs postulavit. Voti compos effectus divinissimum hoc Sacramentum singulari suō solatiō & circumstantium ædificatione suscepit. Altera die Sacramentum Extremæ Unctionis sibi ministrari rogavit; desiderabat enim Ecclesiastica Sacraenta, ex hac vita decedentibus conferri solita, sanō adhuc judiciō & tempore opportuno recipere, ne infirmitate ingravescente, dum sibi mens in extremis parū constat, nihil debita cum devotione fieri posset, sed omnia ferè tumultuarie multisque perturbationibūs & imperfectionibūs admixtis festinanter præcipitari oportet. Annuit tam justis ejus precibus P. Superior, eumque sacrō oleō inungi jussit, quod cùm devotissimè factum fuisse, ille grandi delibutus

Postrema ha  
bitus tali  
da febres.

Recipit Ego  
Ecclesie Sacra  
menta.

1709.

Inde magnum  
ejus animi fo-  
litionum.

gaudiō ad circumstantes dixit: *Magnum est mibi solatium, quia Ecclesiae Sacramentis jam moriar munitus.* Aliis subinde eum visitantibus ferè eadem respondens ajebat: se totā nimirum vitā id a DEO rogāsse, ut extrema Ecclesiae Sacraenta in fine vitæ recipere mereretur, id nunc impetrāsse ingenti animæ suæ consolatione, nihil proinde aliud jam expectare, quām ut fiat sanctissima DEI voluntas.

Varlos virtu-  
tum actus eli-  
sit.

V. Paucos dies, quos a receiptis Sacramentis supervixit, quamvis ardentissima eum febris continuè molestaret, ità ut miraremur, quomodo vir senex & virium attritarum tantos posset sustinere calores, majore tamen Divini Amoris incendio interius ardens in assiduis virtutum actibus & colloquiis cum DEO, cœlitib[us]que, ut fratres observarunt, qui die nocturne alternatim ei adstiterant, magno pietatis sensu consumpsit, nec dubitare licet, ab eo tunc temporis omnia exactissimè observata fuisse, quæ ipse sibi pro eadem occasione salutariter anteā præscriperat, & nos in prioribus latè retulimus. Inclinante tandem die decima quarta mensis Octobris, cùm haud procul a supremo vitæ termino abesse videretur, plures Sacerdotes in ipsius cella convenerunt, ut ei verba salutis inspirarent. Propè medianam noctem pro more tabellarum sonitu convocata fuit ad ejus transitum precib[us] alleviandum tota religiosa Communitas, qua comprecante ipse post horam immediate duodecimam mediæ noctis magna pace & tranquillitate animam suo tradidit Creatori.

Obit. 15. Octo-  
bris.Post obitum  
exterorum  
concupis.

VI. Ad exortam diei lucem in feretro compositus jacuit similis viventi, nisi quod assuetus in vultu pallor aliquantulum magis ad candorem accesserit. Id mirabilius, quod, cùm in vita sua paucis notus fuisset, aut ipse potius cum paucis notitiam habere voluisset, post ejus tamen felicissimum transitum ingens hominum multitudo exterorum affluxerit defundūm veneratura. Ex his Presbyter Italus suppresso nomine in ejus virtutum & meritorum laudem Italicos vertus composuit, typisque mandatos a meridie ad nostrum cœnobium attulit, quorum exempla inter nos adhuc reperiuntur. Reculæ illæ, quib[us] in vita sua usus fuerat (paucissimæ autem erant ob nimium ejus, quod in paupertatem ferebatur, studium) confessim post mortem ejus velut sacræ Reliquiæ a devotis direptæ fuerunt. Vespere consueto more terræ mandatus est, qui se in vita multoties infra terræ pulvrem humiliaverat.

Res ejus pro  
reliquiis dire-  
pta.

Sepultura,

Ejus corporis  
habitus.

VII. Staturâ fuit infra mediocrem: habebat autem caput grandiusculum canitie conspersum, frontem latam in modicam calvitiem desinentem, oculos nigros & vivaces, nasum acutum, genas macilentas, rugisque aratas, os & mentum tenue, reliquum totum corpus gracile variis & diuturnis pœnitentiis exciscatum, ità quidem, ut si quis illum tantum intueretur, eum exemplò tanquam magnum DEI servum suspiceret: qui verò eundem loquentem audiverant, de ejus doctrina & vitæ sanctimonia prorsus confirmabantur. Modò, qui vitâ defundūm intellexerant, lugebant quidem eum, de cœlesti tamen ejus beatitudine nihil dubi-

dubitabant, sed potius optabant beatæ mortis & sortis ejus fieri participes. 1709.

VIII. Duas peregit Redemptiones, in quibus e Turcarum captivitate quingentos & viginti septem liberavit Christianos. Tertiam Redemptionem paratam habuit, sed propter attritas ex tolerata ægritudine vires perficere non potuit, ut superius retulimus. Ad quartam æquè Redemptionem non pauca congregavit subsidia. Vixit annos LXV. Menses VI. dies XXII. 527. Christianos redemit.  
Etas ejus.

## C A P U T   XXV.

*Nonæ Redemptionis adventus; & circa captivos imposterū redimendos Excelsi Regiminis Ordini facta propositio.* 1710.

I. Nitium anni Christianæ Salutis millesimi septingentesimi decimæ, sicut & præcedentis anni finis P. Redemptorem cum redemptis tenuerunt ad Carlovitzum, oppidum a nuperna pacificatione cum Ottomanica Porta celebre. Hæserat ibi Pater aliquamdiu: dum autem diuturnæ moræ pertæsus ante finem quadraginta dierum Petri-Varadinum aliquoties ad ejus Præsidii Pro-Gubernatorem excurrit missionem exoraturus, quòd nihil a nostris redemptis metuenda videretur, qui omnes sani & incolumes erant, nec esset unicus inter eos, qui vel capitis dolore laboraret, Pro-Governator, vir priscæ fidei & antiquæ probitatis, cùm suaptè eò propenderet, ut P. Redemptori omnibūs, quibūs licet posset, modis gratificaretur, eum honorificentissimè semper suscepit, prolixèque spoondit, daturum se operam, ut nostri a tam molesta & sumptuosa statione quantocv̄is absolverentur, quos probè neverat perfecta corporis incolumentate gaudere. Sed ecce! dum nostri aliqua propinquioris dimissionis spe lactantur, Viennâ de Sanitatis Consilio alterum emanavit decretum, vi cuius stativorum a nostris Salankameni peractorum nulla ratio habebatur, sed ad fluvium Valponem relegati eadem ab exordio per alios de nuò quadraginta dies retexere mandabantur. Inexpectatum hunc nuncum ægerrimè tulit Pro-Governator, quò suam intentionem frustrari vedit; nostri verò spem missionis nunc evanuisse multò acerbius deplorabant: Verùm in his rerum circumstantiis morem gerere oportebat. Igitur, ut quantocv̄is indicatam quadragenariam moram rursus ordirentur, ad decimam mensis Januarii Carlovizi discesserunt, & Walkovarium, oppidum ad Valponis fluminis ripam, ubi idem fluvius vectigales aquas Danubio infundit, tribūs circiter milliaribūs Essekinō distans, ex mandato Pro-Governoris contendentes decimā quartā ejusdem mensis pervernerunt, novō quadraginta dierum experimentō sanitatem suam probaturi: quamvis autem nova hæc remora illis magnam molestiam attulerit, magis tamen metuebant, ne a militibus, qui ex Transilvania & locis superioris Hungariæ lue infecti adveniebant, sub hujus temporis decursu aliqui nostrorum contagio afflarentur, Carloviziō walkovarium discedunt. Majus periculum contagii.

D d d d d

quæ

1710.

quæ certè calamitas universos ingenti discrimini addixisset. Hinc summâ curâ omnibus inculcatum fuit, ut quisque eorum sibi quâm maximè ab aliis advenis caveret. Post paucos dies Essekino a Præsidii Gubernatore ad P. Redemptorem missus advenit nuncius cum mandatis, ut ipse cum suis redemptis ad aliud vicinum oppidum migraret, quòd oppidi Walkovarii cives tot redemptis captivis, & insuper ex Transilvania accedentibûs militibûs nimium se gravari conquererentur. Dum nostri ad iter se parant in alium locum commigraturi, ecce repente alias ab eodem Gubernatore præter expectationem adfuit nuncius cum litteris, quibûs significabatur quadragesimum moræ diem a P. Redemptore atque redemptis esse completum, abirent proinde, quando liberet, suámque viam finè impedimento Viennam continuarent. Non abhorrebat a veritate, quod in epistola illa dicebatur, quadraginta dies a nostris jam expletos fuisse; hos enim reapse excesserant, si a prima detentionis die numerus ineatur. Quis verò Essekiniensi Gubernatori hanc mentem inspiraverit, hucusque manet incomptum. Sed quidquid de auctore hujus mandati sit, nostri sanè hanc facultatem ceu gratiam, a cœlo delapsam, suspicerunt, nullaque morâ interpositâ statim vigesima ejusdem mensis die indè discesserunt, & iter per Sclavoniam, quæ constanter in fide Cæsaris Regis sui perfiterat, Styriamque inter sexcentas ærumnas, utputâ famem, sitim, frigora, nivium densitatem, ac viarum asperitatem prosecuti sunt.

*Preces pro laborante Redemptione.*

II. Interea Viennæ simul & in cæteris nostris Conventibus ferventiores ad Sanctissimam TRINITATEM fusæ sunt quotidie preces, ut DEUS laboranti Redemptioni opem ferret, ne in tot contagionis periculis pessumiret. Neque frustra Divinum auxilium imploratum est; Redemptio namque spe citius in urbis pomœriis salvam se stitit; die siquidem vigesima septima Februarii nuncius ante fores nostri cœnobii Viennensis comparuit, qui significabat, P. Redemptorem cum toto liberatorum agmine apud Ecclesiam Reverendorum Patrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Religiosam nostram Communitatem præstolari. Eadem igitur luce post meridiem nostra Communitas prælata cruce ac labaris in forma supplicationis P. Redemptori ad dictum templum obviâ prodixit, ibidemque redemptis, cæterisque in rectum ordinem dispositis inter festivum tubarum, tympanorumque clangorem, lætumque musicorum concentum, aggregata quoque Sodalium & exterorum multitudine omnes rectâ viâ urbem petierunt, & per portam Carinthiacam ingressi, ejusdemque nominis plateam emensi per forum herbarium in vicum carbonum successerunt, populo confertim ad novæ hujus Redemptionis spectaculum accurrente. Ut autem forum attigerunt, quod Cæsaris palatio prætenditur, paululum substiterunt, donec Augustissimo Nostro JOSEPHO I. Romanorum Imperatori supplicationis adventus nunciatus fuisset, quô comperto Gloriosissimus Monarcha cum universo aulico comitatu ad palatii fenestras se statim contulit, & hunc pietatis triumphum, ad ipsius obsequium & solatium sub-

*Salva Viennam venit Redemptio.*

*In Cæsaris Aula substante inspectante Casate.*

subsistentem, clementissimis suis oculis perlustravit. Datō deinde a Cæsare signō, quō Processio viam continuare permittebatur, tubæ ac tympana, quæ altum hactenus silentium tenuerant, rursus insonuēre, gratissimumque melos suum per Aulam Cæsaream & reliquas urbis plateas sparserunt, donec Scotensem Portam egredia supplicatio nocte jam ingrūente ad nostram pervenisset Ecclesiā. Sermonem tunc ad populum habuit P. Josephus a S. Maria, quō finitō & gratiis de more Sanctissimæ TRINITATI peractis nonæ Redemptionis labores finem habuerunt.

Concio &amp; gratiārum actio.

III. Numerus captivorum hac occasione redemptorum centum viginti quatuor æquabat, et si eorum duodecim primū in Autumno subsecuti sint, quibus P. Redemptor in suo digressu lytrum apud fidos deposuerat; nam præter illos, quos in Valachiam Constantinopolī submiserant redemptos, ut jam superius memoravimus, supererat eis etiamnum pro aliis adhuc redimendis pecunia. Ex illis autem, quos P. Redemptor secum Viennam adduxerat, censebantur viginti sex pueri & puellæ in Tartaria a Christianis parentibus progeniti, ac nondum, quæ regionis illius est barbaries, Sacramentō baptismatis regenerati. Omnes isti in Ecclesia nostra paucos post dies sacro fonte sunt abluti magna cum adstantium consolatione. Baptizatis conquisi sunt Patroni, qui eos in Christianis moribus & ad omnem pietatem educarent. Alii eorum adulti in hæresi diu vixerant, nunc suæ redemptionis occasione saniora cogitare cœperunt consilia, & avitos errores detestati Catholicam Fidem sponte suscepserunt, atque adeò sicut prius a Turcarum servitute & catenis, ita nunc per salutifera Ecclesiæ Sacraenta a peccatorum vinculis absoluti fuerunt: hæc namque, præter alia innumera, ex Redemptionis beneficio comoda resultant.

Redemptorum numerus.

Pueri &amp; puellæ baptizati.

Ad S. nostram Pidem conuersi.

IV. Quod si nunc omnes redemptos in suas nationes singulatim partiri velimus, deprehendemus, unum & sexaginta ex Austria, Styria, & Carinthia oriundos fuisse; ex Hungaria, Croatia, Sclavonia & Transilvania tres & viginti; ex Bohemia, Moravia & Silesia decem: cæteri verò ex diversis nationibus originem traxerant, quorum singillatim nomina, ætas, patria, conditio & pretium in publicas tabulas sunt relata, & in grandiore folio Reverendissimo & Serenissimo Principi Alexandro Sigismundo Episcopo Augustano, Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ Ducum præinserto lemmate: *Ipsi servi tui, & populus tuus, quos redemisti lib. 2. Esdræ, cap. 1. v. 10.* Dedicata, typicis formis prodierunt, sequenti inscriptione præmissa:

Redemptionis dedicatio.

*Auream tandem in libertatem asserti, quos in Oriente Thrases, in Septentrione Scyibæ, utraque immanis gens, & fera diu graviter affixerat, ad aureum Te nostri sæculi Principem non minus de sua libertate lætos, quam de tua liberalitate se gratos sustinunt, atque venerabundi procumbunt: babes totam banc catervam Princeps Episcope tuæ beneficentia catenæ devinctam, & captivam meliori sorte ducis captivitatem. O! terque quatérque beati, qui paulo ante sub diro Mahometanorum jugo inter crudas infidelium abominationes suspirarunt*

D d d d d 2 potius,

1710.

potius, quām speraverant redemptionem; ecce a Tyrannis emancipati venientes veniunt cum exultatione, & ei gratias agunt, qui educit vinculos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris; in putridis mortalium flagitorum sepulchris habitabant, in offusa errorum caligine iram DEI exasperantes: imò plures eorum ibidem a Christiano licet sanguine nati, & in hanc lucem editi salutari regenerationis lavacro & luce Fidei, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, caruere, olim in Christiani nominis & sanguinis perniciem utique educandi, quos nunc catechumenos Sancta Mater Ecclesia suscipit regenerandos, & quos alias cum tota posteriorum progenie Patriæ, & Ecclesiae infensissimos habuisset inimicos, fideles filios amplectitur. Verè aurum cum dittissimo fænore reddit, dum non tantum corpora, verùm etiam tot mulè aurō pretiosiores anima redimuntur. Habe igitur eos, qui tibi non minimam suæ felicitatis partem debere proficiuntur: Habe eorum corpora ut Princeps, animas verd ut Episcopus.

Redempti prae  
foribus Eccle-  
siarum viati-  
cum interrog-  
re soliti.

V. Hactenus diuturna quadam consuetudine receptum erat, ut post Redemptionis adventum redemptis per decem vel quindecim dies libera facultas concederetur, prae foribus Ecclesiarum standi, & a fidelibus benevolam stipem in viaticum postulandi, qui cùm peregrina veste ab aliis facilè discernerentur, liberaliorē semper Viennensium experti sunt charitatem & munificiam; adeò ut etiam nonnulli eos mensæ suæ adhiberent, lautoque convivio exciperent. Indè ortum est murmur inter urbis mendicabula, optabántque redemptis concessos dies citius elabi, quòd eis exigua tunc obtingeret eleemosyna, redemptis totam ci-vium munificentiam ad se pertrahentibus. Hac vice idem contigit: hinc elapsis illis diebus, postquām redempti in suas regiones dimissi fuissent, P. Martinus ab Ascensione pro tempore Commissarius Generalis ex causa sibi ignota mandatum accepit coram Excelsi Regiminis Consilio comparendi. Introductus est itaque Pater ad deputatorum Ministrorum confessum (quem soli Magnates officiis eminentes, & Cæsari a consiliis constituunt) quorum unus Patrem benevolis & pacatis verbis sic est allocutus: Admodum Reverende ac Religiose Pater Generalis Commissarie! Benè notum est nobis, Reverendas Paternitates Vestras præter exemplarem vitæ conversationem insuper Redemptionem captivorum, Ordinis Institutum, laudabiliter excolere, quod in commendationem Ordinis vestri nos quotidie magis admirari profitemur; ideoque Cæsari, Principi nostro & nobis admodum chari, atque in opinione nostra magna estimationis semper fui-stis, eritisque deinceps. Unicum, quod desideramus, est, ut in eo Veneranda Vestra Paternitas nobiscum sentiat, videlicet cùm probè sciamus, Patres Ordinis vestri Institutum suò sanctissime fungi, minime nobis necessarium videtur totam redemptorum caterwam Viennam adducere, sed consultius fore putamus, ut captivi exterarum nationum, & qui vobis-cum ex partibus infidelium redeunt, commodius vel in sua ipsorummet terra relinquantur, dimittanturque; sic enim in remetiendo itinere & sumptibus excusabuntur, cùm facile contingere queat, ut eleemosyna, quam Viennæ corrogant, eis pro viatico in patriam haudquam sufficiat, illis præsertim, qui longius iter in patriam suam habent. Hoc est,

quod

Excelsi Regi-  
minis proposi-  
tio circa re-  
demptos non  
omnes Vien-  
nam addu-  
cendos.

quod ad futuram vobis directionem insinuare debuimus, minimè ambigentes, vos pro vestra prudentia libenter assensuros, operamque daturos, ut hac benevolia insinuatio, ut par est, locum habeat, & debitum fortias tur effectum. Gratum id fuerit Cæsari Principi nostro, & Sacro Ordini vestro in futuris occasionibus quam maxime proficuum: neque aliud de vestra in Excelsum Regimen devotione expectamus.

VI. Hæc postquam P. Commissarius Generalis attentè audivisset, religiosâ modestiâ in hunc ferè modum respondit: *Illustrissimi & Excellentissimi Domini! Benevoli Domini Fautores!* Propensam vestram in nos voluntatem & studium magni facio, ut qui potest vel maximè. Sapienter monuistis illud a nobis fieri, quod & nos facere in votis habuimus; redemptos siquidem non ob aliam causam in præteritis Redemptionibus in hanc urbem adduximus, quam ut suismet oculis inuerentur universi, nos muneri & Instituto nostro rite satisfacere; non nulli namque (quod cum omnium pace dictum velim) Ordinem nostrum jam pridem obrectationibus infestabantur, nos in conventu nostri & Ecclesiæ fabricas expendere, quas recipimus pro redimendis captivis eleemosynas, quod convitum sive calumnia tanto gravius nobis accidit, quando strictius nostræ sanctæ Regulæ & Constitutionum nostrarum præceptis obligamur, non solum captivis dare, quod pro eorum Redemptione datur, sed etiam partem tertiam ab omnibus illis, quæ pro nostra sustentatione colliguntur eleemosyna, detrabere, eamque in Redemptionem captivorum expendere. Nunc autem omnium vestrorum Sapientia & Auctoritas me plurimum consolatur, neque deinceps vulgi rumores, vel ignari cugusdam dictoria morabor, sed dabo operam, ut, quod benignè insinuasti, illud a nobis in sequentibus Redemptionibus quam exactissime observeatur. Cum ego interea me meliusque sacrum Ordinem vobis in omni occasione commendatum esse cupiam; vicissimque in me recipio, nunquam nos destitutos pro Clementissimi Cæsaris Principis nostri, vestrâque omnium prosperitate pias ad DEUM preces continuè effundere. His diebus Pater amplissimo illi confessui valedixit, domumque reversus Excelsi Regiminis voluntatem inviolabiliter observari mandavit, & nos idem ad memoriam & instructionem posteriorum in acta referre debuimus.

## C A P U T XXVI.

*Viennensis cœnobii structura continuatur. Beatis-*

*simæ Virginis quedam imago ibidem in honoris-*  
*centiorem locum collocatur.*

I. **F**elicitas præsentium annorum ob crebras contra hostes victorias desideratam Europæ tranquillitatem & pacem e vicino ostentabat. In nostris & vicinis quoque regionibus agrorum ubique magna fertilitas, & rerum omnium abundantia videbatur. Nostrum Viennense Cœnobium propter indiēs magis accrescentem devotionem erga prodigiosam CHRISTI Crucifixi Imaginem jam cœpit alere consueto victu frugali Religiosos propè quinquaginta. Quinimodo ad ejusdem fabricam ampliandam ex piorum

Eeeee bene-

Cæsaris victo-  
ria pacem Eu-  
ropæ obtin-  
tant.

Agrorum  
quoque ma-  
gna fertilitas.  
Viennense  
Cœnobium  
flores.

6710.

Aula capitu-  
laris adiuci-  
am.Ad aula in-  
gressum B. Vic-  
toriae imago  
collocatur.Eius origo &  
descriptio.Ex acervo la-  
pidum erui-  
tur, & ad co-  
enobium de-  
portatur.

beneficentia sepositas possidebat non modicas facultates. Quæ cùm ità se haberent, ad verni temporis initium antiqua domus, cœnobio adhærens, dejecta fuit, & in ejus locum aula ædificata, quam nos Capitularem vocamus; hæc satis ampla est, ac spatiofa: & ne quid Religiosorum necessitati deesset, ambulacrō dormitorii longius productō plures quoque cellæ, sive Religiosorum habitationes ædificatæ fuerunt.

II. In eadem aula interiùs supra portæ ingressum muro immissa fuit imago lapidea Beatissimæ Virginis MARIAE cognomento Auxiliatricis, de qua me operæ pretium facturum existimo, si ejus originem paulò uberiùs exposuero. Ante nupernam urbis Viennensis obsidionem Turcarum in nostra eadem platea non procul a nostro cœnobio domus fuit, etiamnum extans, cujus arcuatum majus ostium hac imagine coronabatur. Annus sculptæ iconis subtus ipsam imaginem numeralibūs litteris manifestatur his devotis tribūs verbis scalprō expressis: AVE DVLCISSIME IESU. nempe annus millesimus sexcentesimus sexagesimus octavus. Hæc imago non plus quam septendecim annis in dicto loco substituit, nempe ad ipsam usque urbis obsidionem. Porrò Turcæ, qui ex superstitionis suæ præscripto icones omnes abominantur, eam loco suo deturbatam in tria frusta confregerunt: ast, quamvis illorum rabies in hanc statuam ità sævierit, effigies tamen Beatissimæ Virginis, ejusque Divinissimi Filioli illæsa permanit; clade tota in unum ex duobus Angelis, Sacratissimæ Virginis circumfusis, ejusque regali vertici coronam imponentibus redundante, cujus caput fissum, vultusque foedè disceptus fuit. Quis autem hoc flagitium perpetraverit, in tanta rerum perturbatione non fuit manifestatum, nec ego divinare valeo.

III. Post viatum & profligatum Turcarum exercitum, partes imaginis collectæ, ut inutiles in lapidum acervum cum aliis ruderibūs sunt projectæ, ibique neglectæ jacuerunt usque ad annum millesimum septingentesimum, quô nostrorum aliqui dominum illam fortuitò ingressi viderunt in illo lapidum cumulo hædere quidpiam, quod aliquando sacram fuisse effigiem suspicabantur. Socius erat Fr. Alexius a S. Felice vitam professus activam. Hic exemplò se accingens operi ruderum congeriem disjecit, partes illius imaginis collegit, easque suis juncturis adaptatas composuit. Quô factò ipsius domus herum vestigio accessit, & eandem imaginem sibi donari postulavit ad nostrum cœnobium deferendam. Non invitè herus in fratris vota concessit, gratum sibi fore professus, si aliquando illa imago pristinæ integritati restitueretur. Fr. Alexius, quatenus de sacro munere esset securior, us erat robustarum virium, partem unam ex tribus illius imaginis prehendit, & secum in cœnobium nostrum, quod indè paucis distat passibūs, asportavit, ac confessim missis famulis reliquas duas partes adferri jussit.

De viridatio  
ad novam au-  
lam transfe-  
tur imago.

IV. Locus pro illo tempore collocandæ imagini aptus in cœnobio nostro non reperiebatur: partibūs tamen ritè compositis interea nostri viridarii ambulacrum in fronte aliquamdiu orna-

ornavit, & ad pium excitandum affectum transeuntes monuit. 1710.  
 Tandem cùm dicta aula ædificaretur, obtulit se occasio eandem sacram imaginem ad honorificentiores locum transferendi ; acciti sunt protinus artifices, qui partes disruptas dexterimè conglutinârunt, disceptumque unius Angeli vultum pristino decori tam scitè restituerunt, ut nullius lësionis vestigium remaneret. Integra jam imago cernitur muro inserta supra januam aulæ, quam pro additamento decoris margo undique ambit ad speciem nigri marmoris effectus, adjectis quoque duabûs ex sacra Scriptura sententiis, quæ litteris suis numeralibûs annum collocatæ in hoc loco imaginis indicant, quarum altera ad Immaculatam Virginis DEIPARÆ Conceptionem alludens ex libro Ecclesiastici deprompta fuit his verbis : posse DI CVM Ipsa Cor ab Initio. Altera Eccles. 5. 1. v. 28. verò ex Regii Vatis oraculis ad CHRISTUM tendit, ejusque Clementiam sequentibûs implorat : AntICIpent nos MISerICordIæ TVæ. Cæterum operiorum multitudine hoc ædificium unius æstatis spatiô ad fastigium evectum sequenti hyeme usui communi jam inservivit.

Eccl. 5. 1. v. 28.  
Psalm. 71. v. 8.

## C A P U T XXVII.

*Generalia Ordinis Comitia celebrantur, in quibus circa Novitios ad sacrum nostrum Ordinem admittendos saluberrimum decretum editur. Reflexio super idem decretum.*

**H**oc eodem anno currentis sæculi decimo intra sexennium N. P. Joannis a S. Paulo Majoris ac Generalis Ministri, ut singulis trienniis in sacra Religione nostra magno cum Ordinis emolumento fieri consuevit, coacta sunt apud Toletum in Castella Generalia Ordinis Comitia, in quibus saluberrima quædam statuta fuerunt condita ; unum præ cæteris ad conservationem Ordinis in suo decore faciebat, in quo cavebatur, ut ii, quos Patres Provinciales Ministri designaturi essent pro facienda inquisitione ( informationem nos communiter dicimus ) de moribus & qualitate candidatorum ad Ordinem, & tyronum ad professionem admittendorum, virtutum laude florent, non tamen ex illa civitate aut oppido originem traherent, in quibus hanc inquisitionem instituere oporteret. Decretum insuper fuit, ne tales religiosi ad hoc munus eligerentur, quibus necessitudo prius, aut familiaritas cum candidato, aut ejus familia intercessisset, & ut illi, quibus hoc officium esset demandandum, e vestigio coram P. Ministro Conventûs & Patribus a Consiliis cœnobii vel Collegii præstarent jusjurandum hanc inquisitionem omni fidelitate obeundi, nec admittendi testes, quos candidati partes obtulerint, neque suscipiendi munera, quorum causâ moveri possent ad testimonia assertiones facilius accipiendas. Præterea cùm ad notitiam Nostri Definitorii Generalis pervenerit, fuisse nonnullos in nostris Conventibus, qui ad Ordinem ad miserant in sanitate male constitutos, nec bene in Grammatica

Generale Cas-  
pitulum in-  
termedium.

Decretum ei-  
ca admitten-  
dos ad Ordin-  
mem nostrum.

Eeeeeee 2 in-

1710. instructos, imò & moribūs, ac natalibūs ad nostrum Ordinem scipiendum inhabiles, aut etiam homines ex infima plebis fæce: ideo dictum Definitorium nostrum onerat conscientias Patrum Provincialium & Ministrorum, eosque in visceribus CHRISTI obtestatur, ut omnes vires suas impendant, & benè considerent rem tanti momenti, eradicēntque hujusmodi corruptelam in magnum aliquando Ordinis præjudicium cessuram, neque ulla ratio-ne ad Sacrum nostrum Ordinem eos admittant, qui in aliquo ex dictis defectibus comprehensi fuerint: si verò Religiosi Conven-tuales animadverterent, quòd sinè timore DEI, ac sinè consideratione Religionis quispiam ad sacrum nostrum Ordinem in ali-quo nostro Conventu vel Collegio admittatur, defectibus superiùs expressis obnoxius, sive id exterorum, sive domesticorum artibūs & interpositione fieret, illico moneant Nostrum P. Mini-strum Generalem, ut evitetur tam grave Ordinis detrimentum. Ad extremum denique sanctum fuit, ut prius tales inquisitiones sive informationes instituantur, quām alicui candidatorum Ordinis vestis conferatur, si commode fieri possit. Hoc idem jam ante biennium decimā tertią mensis Septembri e quadam nostri Generalis Definitorii sessione feriā quintā celebrata emanaverat, quod inter alias sanctiones nunc rursus confirmatum fuit.

Reflexio super  
Decretum.

Levit. 22.  
v. 21.

Levit. 21.  
v. 17.

Vigil. 4. Georg.

II. Si vel Cicero sedeat Judex, Patres illi sapientissimè de-creverunt. Quid enim? Si in veteri Testamento holocaustum requirebatur immaculatum, ut acceptabile sit: *omnis macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aus scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* Quantò majori id exigetur jure in holocaustis novi Testamenti, in hominibus, in-quam, religiosis, qui se totos Divini Amoris igne concremandos offerunt? Nónne hos ab omnibus corporis & animæ defectibus quām remotissimos esse oportebit? Veteris Testamenti Sacer-dotes omni prorsus labē, aut nævo carere debebant, ut ipse DEUS Moysi disertè præcepit, quando dixit: *Loquere ad Aaren: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes DEO suo.* Nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvō, vel grandī, vel tortō nasō, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lip-pus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Si hoc, inquam, in veteri Testamento præceptum fuit, quid in novo Testamento servare par est, quod tot parasangis vetus Testamentum antecellit? Si neque ad militiam, imò nec ad vile quidem officium admittitur aliquis inutilis, qui fieri queat, ut quis amore vel passione alia ductus ad sacrum no-strum Ordinem, in quo sub labaro sanctæ Crucis cœlesti Regi militamus, in ejus grave præjudicium admittat ignavum vel in-utilem? In apum Republica observatur ignavos mellis comedo-nes occidi, ut Mantuanus vates nativâ suâ elegantiâ cecinit:

*aut agmine facto*

*Ignavum fucus pecus a præsepibus arcent.*

Plin. 2. II.  
cap. 10.

Expressiùs id docet Plinius, qui de apibus differens ait: *Mira ob-servatio operis, cessantium inertiam notant, castigans mox & puniunt morte.*

*morti.* Ut benè scilicet illi possint gloriari: Nos numerus sumus, & fruges consumere nati. Sed multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Longè aliter sit in Ordine nostro, in quo per sacram nostram Regulam S. Pauli Apostoli sententia commendatur, nempe: *Qui non laborat, non manducet.*

1710.  
Isa. cap. 9.  
v. 3.

III. Notanter autem quinque defectus in decreto comprehenduntur: Primus in sanitate. Non ego quidem inficias eo, illos quoque ad religiosæ perfectionis fastigium patientiæ alis evolare posse, quos DEUS diversis morbis affligi sinit: at quia Ordo noster rigidiorem disciplinam sectatur, unde clinici ad eam observandam vires mutuabunt? quos ipsa infirmitas corporis ab omni rigore legitimè excusat. Hi sanè non idcirco ad Ordinem veniunt, ut in supportando onere fratribus suis serviant, sed ut ipsis a fratribus serviatur, & oneri majus onus imponant. Secundus defectus est in Grammaticæ Scientia, & concernit eos, qui ad studia, & indè ad Sacerdotii dignitatem aspirare tenentur. Ast quô pæctō quis in altioribus litteris proficiet, qui in infimis & trivialibus adhuc hæret. Vereri hos oportet, ne iis illud Osee Prophetae occinatur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mibi.* Tertius omni peste nocentior est defectus in moribus; telle namque Divina Sapientia: *perversi difficile corrigitur.* Quis nescit, quām frequenter una ovis morbida totum gregem inficiat? Scilicet tanta est humanæ naturæ ad malum propensio, ut facilius aliquis cum perverso uno pervertatur, quām cum centum Sanctis Sanctus fiat. Quartus & quintus defectus est in natalibus, quando nimirum homines infimæ conditionis de fæce plebis in Ordinem assumuntur; etenim hi sèpiùs ceu lolia ex flacida radice prognata perpetua sterilitate marcescunt, nullósque fructus proferunt, sed potiùs vitia ex neglecta educatione contraria, aliásque malas inclinationes, quas ab infantia combiberunt mordicus retinent, testante Poëta: *Quô semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.* Quibus si accedat ingenii vivacitas, alios in sui simillimum reprobum præcipitant sensum, nullóque capistrò satis in officio contineri valent; tales sanè homines in omni cœtu lamentabiles sèpiùs excitârunt tragedias, & pessimum sortiti sunt finem. His accedit aliud incommodum sive obstaculum; quod honestiori sanguine nati talia hominum probra abhorreant, renuantque eorum societati aggregari, ex quo fit, ut ob illa tribolaria capita Ordo præstantioribus subjectis privetur. Hinc luculenter patet, quantum Ordini damnum inferatur, si Superiores absque delectu quosvis facilè recipiant candidatos, etiam ineptos & indignos. Utile autem arbitror, si nunc pro mantissa adjecero, quām cautè sacræ nostræ constitutiones in recipiendis candidatis Superiores procedere velint, ut si quis legerit, intelligat, quinam ad sacrum Ordinem nostrum admitti non valeant.

IV. Imprimis omnium illorum, qui per lineam rectam descendunt a Judæis, Mauris, & Mauriscis (hi sunt ex Mauris ad Christianam fidem conversi) vel qui ob Judaismi aut Sectæ Mahometanæ crimen fuerunt puniti, professio invalida & nulla est, quia

2. ad Thessal.  
cap. 3. v. 10.

Quinque de-  
fectus expo-  
nuntur.

Osea cap. 4.  
v. 6.

Eccles. 11. v. 15.

Psalm. 17. v. 27.

Impedimenta,  
qua in Consi-  
stutionibus e.  
43. S. 3. ex-  
ponuntur.

1710. Religio non præstat suum consensum ad tales professionem: unde ejiciendi sunt homines illi, quamprimum hoc impedimentum innoverit, licet pluribus annis in Ordine laudatè vixissent. Idem esto judicium de Neophytis, seu noviter ad fidem conversis, quos constitutiones nostræ disertè recipi vetant. Dubium tamen aliquando subnatum fuit, an hic per noviter conversos ad fidem intelligantur heterodoxi nostri temporis, qui agnita veritate Romano-Catholicam fidem amplectuntur? An nimis particula *seu* sit æquè divisiva & conjunctiva? Nam Neophyti, qui ex Judæis & Turcis Christianæ Religioni nomen dederunt, in præcedenti numero jam exclusi fuerunt. Quid itaque opus fuerat binis vicibus eandem cramben recoquere? Peperit aliquando hæc difficultas acrem verbi - velitationem, partibus sibi vehementer adversantibus, suásque sententias utrinque validis rationibus fulcientibus, nec sanè video, cui illarum herbam potissimum porrigam.

Dubium extortum circa Neophytes.

Cui respondeatur, non posse Neophytes admissi.

V. Evidenter ego, ut veritatem fatear, duos solum novi, qui post ejurata hæreticorum dogmata solemnni professione sese DEO in Ordine nostro dedicaverant; ad extremum tamen nullus eorum in sua vocatione perseveravit: quod mihi pro gravi servit argumento contrarium sentiendi. Præterea Innocentiana Bulla expedita anno 1692. superius recitata, quæ incipit *Exponi nobis*, illis minime suffragatur; ibi enim in Transalpinis & ad Septentrionem vergentibus Provinciis, iis potestas fit solemnia vota in nostro Ordine nuncupandi, non qui ab hæresi recenter ad gremium Catholicæ Ecclesiæ transiverunt, sed qui descendunt per lineam rectam ab heterodoxis: illi autem gravius impedimentum incidisse videntur, qui non solum descendunt, sed etiam ipsi in hæresi nati & educati fuerunt, licet postea agnita Fidei veritate ad unicum veram Romano-Catholicam Ecclesiam conversi sint. Neque locum hic habet vulgatum illud Juris-Consultorum axioma, quò dicitur: *Favores esse ampliandos*, odiosa restringenda; nam in decretis Apostolicis omnia ad litteram sunt intelligenda, strictè quidem, quia verba tantum valent, quantum sonant.

Cetera impedimenta.

VI. Verum cætera illi judicent, quorum interest; nos in coepio sermonis ordine progredimur. Alia sunt impedimenta, quò minus in Ordinem nostrum quis suscipi possit, si sciatur, quod candidati parentes vel avi olim notati fuerint aliquâ infamia. Si candidatus ex illegitimo thoro sit prognatus, vel talis judicatus. Si aliquando fuit servus seu mancipium. Si ligatus est vinculo matrimonii, vel fide sponsalium, ita ut de se disponere non possit. Si patiatur aliquam contagiosam infirmitatem. Si debitis obæratus teneatur, quæ dissolvere non valet: Si rationes ei reddendæ incumbant, unde ipsi, vel Ordini nostro lis seu molestia subsequi possit. Si Novitus vel Professus fuit etiam apud nos, vel in quocunque alio Ordine, congregatione, vel societate. Si vi, metu, fraude, aut alio humano respectu ducatur ad Ordinem nostrum complectendum. Si parentes habeat pauperes, ita ut ad suam sustentationem indigeant ejus adjutoriō vel Ordinis, si recipiatur. Circa hæc omnia, ut plenariè ac juridicè constet, ad dicen-

dicendam veritatem jurejurando testes obstringuntur. Quod si autem compertum fuerit candidatum uni aut alteri ex recensitis impedimentis obnoxium esse, admitti nequit. Quae omnia supra recensita fundantur in Apostolicis Decretis, Bullis & Privilegiis, nec sine piaculo prævaricari licet, quoniam in legis naturam pri-  
dem transiverunt.

1710.

## C A P U T . XXVIII.

*In obitum Augustissimi JOSEPHI I. Romanorum Imperatoris Laudatio funebris.* 1711.

I. **A**nnus a reparata Salute millesimus septingentesimus & un-  
decimus, præterquam quod in gestis nostris recensendis in-  
fœcundus sit, & rerum memorabilium planè sterilis, acerbissimo  
etiam luctu totam Germaniam involvit; JOSEPHUS enim Glo-  
tiosissime semper Memoriae Romanorum Imperator, cujus erga  
Ordinem nostrum studium ab initio operis passim, potissimum au-  
tem sub decursu hujus libri sexti, fusiùs prædicavimus, hoc anno  
terris ereptus & ad meliorem vitam translatus fuit, postquam  
non integrò sexenniō Romanæ Reipublicæ gubernacula tractasset.  
Ne, itaque, ut cum S. Ambrosio loquar, aut obliterasse silentio be-  
nemeriti de nobis pignoris memoriam videremur, atque inhonoratam re-  
liquisse, aut refugisse incentivum dolendi, cum plerumque solarium sit  
dolendi. Ei pro modulo nostro parentare, ejusque ingentibus me-  
ritis debitum hoc mœrentis styli officium redhostire decrevimus.

Luctus in obi-  
tu Cæsaris.

S. Ambrosius  
in funere Va-  
lentiani Cæsa-  
ris 5. tom. 60  
perum.

Justa causa  
dolendi.

II. Tot, tantèque terrâ marique partæ victoriae, non plenè  
lacrymas abstaserant, quibus ob Gloriosissimi Cæsaris LEOPOL-  
DI MAGNI, Parentis obitum immaduimus, dum rursus in mor-  
te JOSEPHI I. Augusti Filii, funesta circumdatis cupresso novum  
vulnus recruduit, & exasperata cicatrix denuò cordis gemitum  
justissimè expressit; in hoc siquidem Benignissimo Monarcha non  
solum Imperatorem Nostrum, sed & Principem & Parentem no-  
strum nobis ereptum mœsti clientuli dolebamus, cujus pietas, cu-  
ra, studium & munificentia in novella Ordinis nostri plantatione  
nobis erat maximè necessaria, ut proinde præmaturus ejus ex  
hoc mundo transitus desiderium illius immodicè auxerit, qui cu-  
piebamus eum de nostris annis vivere, ut tantus perennaret Im-  
perator & Princeps Noster. Verum illò fatorum invidiâ nobis  
ereptò nil supereft aliud, quam fluxam deplorare mortalium ca-  
ducitatem, & dum vivimus affectus pensare affectibus, atque con-  
tinuas ad DEUM preces fundere, ut, cùm prolixè agnoscamus,  
nos impares esse dignis gratiis pro ejus beneficiis referendis, San-  
ctissima TRINITAS æternorum bonorum participem efficiat no-  
strum olim in terris Augustum Protectorem.

III. Et ille quidem nondum totos sex annos in Imperio ex-  
egerat, quando jam multa sœcula gestorum magnitudine ac mul-  
titudine compleverat; nam consummatus in brevi explevit tempora  
multa. Tot votis aliquando expetitus, diu dilatus, mundo tandem

Cæsaris des-  
iderium.

Sep. 4. n. 12.

**1711.** fuit ostensus, ad breve temporis spatium concessus, citò iterum repetendus. Communis idcirco Europam pervagabatur opinio, plurimorum ore diffusa, mundum JOSEPHO dignum non fuisse, quem nemo non immortalem concupivisset, nisi natura eum mortalem fecisset. Sed vivit post funera virtus. Dulce nomen in omnium subditorum ore regnat adhuc, & perseverat JOSEPHUS Charissimum Romani Imperii Caput, præteriorum Cæsarum compendium, Europæ decus, sui sœculi ornamentum, Populorum & Amor & voluptas, ac denique gaudium universæ terræ. Erat enim optimus Princeps Trajanô mitior, benignior Titô, Antoninô sapientior, Constantinô victoriosior; exemplar Successorum, Imperator Gloriosissimus ut olim Severus Septimius, qui nunquam nasci, aut nunquam mori debuisset.

*El. Spartan.  
in Severo.*

*Natus 26. Ju.  
lii 1678.*

*Plausus.*

*Nomen & ve.  
num.*

*In cunis infe-  
rebat digitum  
rei velas ho-  
stibus mini-  
sans.*

*Formæ gratia.*

*Jul. Capitol.  
in Maximin.  
Jan. vide bise.  
Aug. rom. 3.*

*Concursus ad  
videndum  
Principem.*

**IV.** Natus est laudatissimus Imperator JOSEPHUS Viennæ Austræ in dominanti Romanarum Aquilarum Regia post plus quam viginti annorum diurna vota, preces & suspiria, atque huic mundo velut cœlestè munus (liceat mihi ita loqui) a DEO donatus die vigesima sexta Julii anno millesimô sexcentesimô octavô, ut proinde multi ex ipso ejus genethliaco mense illum Magni Julii Cæsaris Successorem aliquando præsagiérint: Sol etiam, qui iisdem diebus leonis astrum ingressus fuerat, eum leoninô animo hostes suos aliquando domaturum haud obscurè præsignabat. Natus est itaque inter sincerissimos Germaniæ applausus Serenissimus Archi-Dux, qui in sacro regenerationis lavacro JOSEPHI nomen accepit, eò, quod paulò priùs Augustissimus LEOPOLDUS, ejus Genitor, ad masculam prolem, quâ carebat, impetrādam S. JOSEPHUM CHRISTI Nutritium Hæreditariis suis Regnis & Provinciis Protectorem advocāset; sive ut vaticino hoc nomine portenderetur, eum olim ad instar illius Ægyptii Josephi sui populi Salvatorem futurum. Primis fasciis evolutus tenellum digitum sæpè ori inferebat, eumque morsunculis quibûsdam comprimebat, ut illi facere solent, qui vindicem injuriarum memoriam altè in animum demittunt. Res in omen accepta, quasi illâ dexterâ in cunis adhuc tot illatas Parenti optimo injurias, suis populis calamitates adjuvante DEO Victor olim ulcisci decrevisset, quod & reapse cumulatissimè postea præstítit, Germanicæ propterea gloriae vindex & propagator dictus.

**V.** Crevit cum annis formæ gratia, qualem prisci Diis vel semideis affingebant; Os bumerosque DEO similis, & ut alibi Virgilius loquitur:

*Qualis ubi Oceani profusus Lucifer undâ,  
Ex tulit os sacrum cœlō, tenebrásque resolvit,  
Talis erat juvenis primo sub nomine clarus.*

Tantus autem in amabilem Principem amor populi exarserat, ut se felicem reputaret, cui fors obtigisset eum intuendi. Vidimus nos ipsi, cùm ex ephebis egressus flagrantissimæ urbis desiderio ostenderetur, juvenes & decrepitos senes densissima multitudine concurrere, ut oculis ipsum spectarent juventutis Principem: prætervectum, refluente agmine aliam iterum aliisque per compendia viam

viam p̄eoccupabant, ut iterum iterūmque intueri possent Serenissimi oris gratiam, & cùm oculorum cupiditas uno aspectu explexi nequiret, diutiùs, tenaciùsque memoriæ imprimerent. Atque inter hos nemo erat, qui non Augustis Parentibus de tanto Filio, sibi verò ac posteris de tanto Principe & Domino gratularetur, eique festiva acclamatione non applauderet.

1711.

VI. Indolem naçus est prorsus Regiam, quæ Augustorum Genitorum LEOPOLDI & ELEONORÆ virtutes in se transfas jam ab ipsa infantia exprimebat. Ad obsidionem urbis cum Patre Matréque quinquennis Passavium fugere coactus, deinceps nunquam hostes fugit. Passavii supra collem ad Beatissimam Virginem Auxiliatricem sèpè in Augustorum Parentum comitatu fuisse ex innocentí corde precibùs Auxilium Christianorum implorans gratiam obtinuit, ut Turca hostis, quem propter inermem ætatem quinquennis vincere non valuit, ejusdem Divæ Virginis intercessione, atque supernâ Excelsi dexterâ longius ab urbe Vienensi profligaretur.

Animi inde-  
les,

VII. In omni gestu motuque corporis modestia & singulare re lucrebat animi gratia: blandissima frontis amoenitas, oculorum splendor, genarum lac & purpura, & suavissima membrorum concinnitas, quæ omnia in exiguo corpusculo magnam animam inhabitare persuadebant, cunctorum intuentium oculos grato quodam fascinò ad se alliciebant. Prima litterarum elementa cùm a selectissimis moderatoribus combibisset, pectus ejus brevi Musarum evasit domicilium: ad imperandum sapientiæ & industriæ enutritus suffragia populorum sibi pariter conciliavit. Cùm Hungarici Regni Proceres Posonii in salutem patriæ publicis intenti comitiis de firmando, stabiendiaque Regni felicitate matura providaque deliberatione consultarent, mox plenò, hilarique suffragiò tenellum Principem, Archi-Ducem Austriæ, copiosum Paternarum virtutum Hæredem, optatissimum Regem salutaverunt, qui hæreditario posthac & ad Posteros Austriacæ Stirpis transituro jure tam vasto, nobili, opulento, Apostolico & potenti Regno ad summam subditorum felicitatem, ad veram, gerinanam, utilissimamque Patriæ libertatem & gloriam dominaretur. Exigebant id quoque innumera Parentis, Avorumque merita, ac triumphanti præsertim Austriacorum gloriæ, quæ haud unō tantum sœculō Regnum istud tristī barbarorum jugo oppressum calamitosis vinculis exemit, hæc prærogativa ex innumeris titulis debebatur. Sed neque Proceres, quæ sana severant consilia, a celeri fructuosaque gaudiorum messe abire sinebant; nam eadem ipsa nona Decembbris dies, quæ ante sexennium Sopronii Augustæ Matris coronavit humeros, novennem Serenissimi nati verticem Posonii sacro Hungariæ diadematè redimivit; ut una videlicet gaudiorum deliciarumque luce iteratò solatiò Mater in Filio & geminata gloriæ Filius in Matre multiplicata desuper ter coronati Patris felicitate coronaretur. Post elapsum ab hinc biennium JOSEPHUS Augustæ Vindelicorum in publico orbis theatro Principum Electorum suffragiis ad Augustale Romanæ Gloriæ solium

In Regem  
Hungarie pri-  
mò, & postea  
Romanorum  
coronatus.

Gggggg

sub-

**1711.** sublimatus principem Germaniæ Coronam diē vigesima sexta Januarii anno 1690. in Regio vertice tulit, LEOPOLDO MAGNO Imperii Collega datus, Austriacæ Domus continuam per tot sœcula Successionem omnium plausu propagavit, stabilivit, firmavitque. Quanta felicitas! In tribus Augustissimis Coronatis Majestatibus Patre, Matre, Filio Augusta Vindelicorum (quod sœculla nulla tolerunt) mundo exhibuit gloriæ spectaculum & virtutis ornamentum.

*Excelles in  
Studii.*

*Jul. Capitol. in  
M. Ant. Phil.  
Hist. Aug. tom.  
3. pag. 94.*

*Justinianus  
Imp. in pro-  
mio ad Insti-  
tutiones in  
exordio.*

*400. quæstio-  
nibus respon-  
det.*

*Ad arcana  
consilium ad-  
missus.*

*Linguarum  
genarum.*

*Anes alia.*

*Matrimo-  
nium.*

VIII. Politioris litteraturæ studiis sub gemina corona incumbebat felicissimus Princeps, spinosas Philosophiæ difficultates cum historiæ jucunditate leniebat, utramque scientiam extricare & complanare doctus. Alter erat Marcus Aurelius Antoninus Philosophus Imperator, qui ut bonas litteras magis familiares sibi redderet, publicas Romæ frequentabat scholas, dicere solitus: *Eas demum civitates & Regna florere, in quibus aut Philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.* Demum ad comprehendendum Cæsareum Jus animum quoque applicuit, Justiniani Imperatoris ad Juris Institutiones effatum secutus; videlicet: *Imperatorm Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet . . . & fiat tam juris religiosissimus, quam vicitis hostibus triumphator magnificus.* In ejusmodi scientiis memoriâ & ingenii præstantiâ quantum assecutus fuerit, tunc potissimum ostendit, quando ex universo propemodùm scibili quadringentas quæstiones præsente Augusto Genitore ad omnium admirationem felicissimè resolvit. Annō ætatis suæ decimō septimō intra sanctioris arcaniq[ue] consilii cortinam Imperii Collega fuit admissus. Sapientissimo Genitori, & expertissimis Viris Senatoribus ejus ingenii præstantia fuit admirationi. Nemo melius statum quæstionis penetravit, nemo cautius adversantia prævidit, præoccupavit, perstrinxit, nemo dexterius resolvit, ita ut verba ipsius reputarentur oracula, & non tam factus, aut fictus, quam ad res sublimes gerendas natus esse videatur. Quinque pariter linguarum notitiam tenebat, in quibus Regum & populorum Legatis responsa dabat alter Apollo; ut jam nihil loquar de aliis artibus, in quibus Princeps noster excelluit, nempe in venatoria, gladiatoria & saltatoria. In equestrium exercitiorum peritia, torneamentorum, ludorumque circensium dexteritate palmam sanè citra controversiam semper tulit omnium Europæ Principum facile Princeps JOSEPHUS; id vividus artuum vigor, fida, immensaque memoria & ingenium perspicax affatim demonstravit. Exercitatissimus etiam erat in arte scriptoria, elegantes supra modum & Principum sui sœculi consuetudinem efformavit characteres, ut etiamnum testantur Diplomata Regia ejus manu subscripta. Epistolæ, Mandata & Decreta, quæ dictaverat, tantum styli nitorem referunt, ut ab omnibus Imperatoria Majestate dignus censeretur.

IX. Connubiale per Sacramentum Matrimonii Hymenæum consilio, jussuque Augustorum Parentum celebravit cum WILHELMINA AMALIA Lectissima Principe Hanoverana, indole præclara, & eximia animi pietate atque gratia condecorata Principe.

F.C.

Fœcundum fuit eis matrimonium, ut potè in salutem & patriæ incolumitatem propagandæ sobolis gratiâ suscepimus; quô nihil gratiùs Rei-publicæ, nihil civibus magis salutare accidere potest. Habiimus indè quidem pretiosum pignus LEOPOLDUM JOSEPHUM, cuius desideratissima nativitas in plausus, publicamque hilaritatem excivit fideles subditos, sed impia, crudelis, invida mors brevi florem decerpit in cœlestem transplantandum Paradisum; mansit tamen superstes & perseverat Benedictionis fructus in binis filiabus Archi-Ducibus MARIA JOSEPHA & MARIA AMALIA totidem Ducibus ex Principum Electorum numero connubiali fœdere sociatis.

X. Primis in annis Hymenæi, quis non obstupescat Regiam animi fortitudinem? Pius & Amantissimus Pater Filium JOSEPHUM militem induit volentem, gaudentemque: nonnè id erat pro patriæ incolumitate dilectissimum Natum victimam offerre, ac sacrificare, ut aliquando Abrahamus Isaacum? Non eum pericula deterruere, non alternantis fortunæ vicissitudo, non bellorum dubii eventus, non obstinata hostium pertinacia; ex quibus omnibus gloriiosiores victiarum palmas legere constituit. Erat Landavia validissimum Gallorum præsidium, atque ex portæ inscriptionibus jactabatur impenetrabile, unde ferox Mulciber in agros, oppida & urbes nostras incendia frequens immisit: his, aliisque pluribus amoliendis damnis obsidione clausa fuit hostilis civitas: eandem obsidionem ut urgeret Rex JOSEPHUS pro molli purpura induit sagum, & durum apprehendit chalybem hostium injurias, & suorum subditorum detrimenta vindicaturus. Ab aula, ab urbe patria, nihil eum remorantibus piæ Conjugis & Sororum lacrymis inter applaudentis populi vota & omina discessit, pérque veredarias sonipedum mutationes ocyor Euris, ocyor alis, quò eum vocabat Martii animi igneus ardor, concitissimo cursu ad exercitum contendit, suóque adventu famam ipsam prævertit. Gaudet miles, & ad novum excitatur pugnandi ardorem: trepidat hostis, quamvis validis, firmisque circumdatus mœnibus commeatique munitus, dum bis coronatum verticem induere cassidem videt. Nec mora! milites omnes Regis sui exemplō animati commutantur in belli fulmina: JOSEPHUS Rex Miles, legionum Dux & exercitūs Imperator omnium manib⁹ militat, omnium fistulis in hostem tonat, & urbem impugnat. Prostratae turres, æquata humo moenia, & pertinax militum coram Rege Milite impetus bellandi coegerunt hostem cristas ponere, fieri supplicem, & claves urbis legitimo Domino deferre, queis licet retentis patefacto jam murorum hiantium aditu propediem fuerat exturbanus, & qui arroganti tumore anno eodem hujus saeculi secundō nimium sibi adulatus in portis suis lapidi insculperat sequens chronosticon: *Hæc neMInI CeDet.* E converso in eodem anno & numero hanc antithesim substitutam vidit: *tanDeM CessIt CæsarI.* Sed post annum rursus accidit, ut hostis eandem urbem non sine cruenta cæde recuperaret; sed ibi non diu morari permisus est; anno siquidem ejusdem saeculi

Landaviam  
expugnat.

Portæ inferi-  
ptio.

Secundō ur-  
bem perdi-  
tam secun-  
dō recuperat.

1711. quartō iterum JOSEPHUS Rex vincere jam assuetus Landaviam advolat, urbem oppugnat, denuōque expugnat. Sic Austriaci solis splendor dissipavit malevalorum caliginem. Quæ verò pericula, quas molestias exantlaverit fortis & magnanimus Princeps, nullus orator ubertate dictionis assequi potest: sēpumerò obsidionales meatus subeuntem fraudulentos super cuniculos urbi proximum igneas inter pluvias muralium machinarum fulmina comitibus spoliaverunt. Milites exhortabatur verbis socios, commilitones & filios compellando, animavit donis, excitavīs pollicitationibūs, aut minis perursit. Nihil pensi habuit pluviosō autumnō inter noctis frigora ad exitum fere Novembris sub galea durare, obrigescentem etiam sub dio, nivibusque tectum vidi hyems; ad omnem enim novercantis fortunæ casum intrepidus stetit JOSEPHUS. Vidi ista tremens exercitus, horrens hæc audivit Germania, & jam ex periculi magnitudine a LEOPOLDO postulasset, ne Filium Regem tanto discrimini exponi diutiūs fineret.

Post Patris obitum imperiale solium adit.

XI. Redux Viennam tot onustus lauris victor & Triumphantor JOSEPHUS sequentī anno hujus saeculi quintō & quinta itidem die Maji mortore ubertim perfusus, quem filialis amor extorserat erga optimum Parentem LEOPOLDUM Augustum, quem ex hac vita abeuntem vidi. Ad Patris Augustale solium ipse sublimatus liberiūs deinde exeruit congenitas sibi dotes & virtutes, quas sequenti inscriptione, ejus memoriae dedicata, completar:

JOSEPHUS I. ROM. IMP.  
PIUS. JUSTUS. CLEMENS. SAPIENS. AUGUSTUS.  
FELIX. FORTIS. VICTORIOSUS.  
HOSTIUM. TRIUMPHATOR.

PIUS.

XII. PIUM in principio diximus, nempe Pii Patris Pium Filium. Itaque a virtutum Principe pietate ordiar, unde sumpfit initium Austriacæ gloriæ magnitudo. Benè, felicitérque imperat, qui supremum Numen veneratur, & obsequium, quod a subditis exigit, ipse prius reddit supremo dominantium Domino. Quām verò fuerit JOSEPHUS reverens Numinis & obsequens DEO, multis argumentis comprobari posset, ne autem prolixior evadam, satis sit dixisse, nullam solemnitatem Ecclesiasticam sive in urbe, sive in suburbis celebratam fuisse, quam JOSEPHUS, si per valetudinem liceret, Augustissimā suā præsentia non exornasset, adductā semper secum palatinā musicā, quæ ob assiduum pietatis usum DEI potius cultui, quām propriæ voluptati dicata videbatur. In Landaviensi etiam obsidione quotidie duobus Missæ Sacrificiis quām devotissimè interesse consueverat. Indè laurearum sequebatur messis: indè amor populo suo & hostibus timor accrevit. Sub Eucharisticis speciebus velatum DEUM cernuus, humique prostratus adorabat, & in iis perinde ac generosa aquila irretortis oculis solem latentis Divinitatis contemplabatur. Dies & annus in memoria tenetur adhuc, Idibus nempe

Julii

Julii anni sœcularis septingentesimi post millesimum, quando a RUDOLPHO I. inchoatam & nusquam remisso fervore per aliquot sœcula continuatam avorum pietatem est imitatus; etenim a venatione redux obvium habuit Presbyterum ad ægrotum defertem sacrum viaticum. Quô conspectô ille confititum citatissimum stitit cursum, ab equo desiliit, humi non solum procumbens sub specierum velamine DEUM adoravit, sed etiam ad ægrotantis tugurium comitatus fuit æternæ salutis Medicum, largaque stipe consolatus est egentem infirmum. Rectius de JOSEPHO nostro dicere nunc posset Romanæ Princeps eloquentiæ Cicero: *Quod in juventute habemus illustrius exemplum veteris pietatis?* Cæterum non semel duntaxat, sed multò crebriùs, quoties nimirum casus offerret, Piissimus Cæsar eandem, quam nunc attulimus, devotionem iteravit. Porrò delicta, si interdum pro humanæ naturæ fragilitate aliquibus succubuisse, rigidissimo examine discutiebat, & inquirebat in se ipsum, eadémque non sine magno cordis dolore Sacramentali confessione sœpius expiabat, factus suimet ipsius actor & reus. Liceat mihi cum S. Ambrofio exclamare: *Quod erubescunt facere privati, Rex non erubuit confiteri.* Qui tenentur legibûs, audent suum negare peccatum, dēsignantur rogare indulgentiam, quum petebat, qui nullis legibûs tenebatur humanis. *Quod peccavit, conditionis est; quod supplicavit correctionis.* *Lapsus communis, sed specialis confessio.* Divinæ Majestati JOSEPHUS per detestationem peccatorum reconciliatus sacram Eucharistiam in terram provolutus summa cordis compunctione suscepit; posteà pro cœlesti recepto gratiæ pignore, tempus non breve in precibus & gratiarum actionibus devotus expendit, & spiritualia sibi malagmata conquisivit, quibûs animæ vulneribus mederetur. Non tantum in se JOSEPHUS peccatum oderat, sed etiam in alios propter DEI offensam animadvertebat, eosdémque ad salutaris pœnitentiæ ministrum abire jubebat, monebatque, ut vitæ suæ detestarentur turpitudinem, suæque deinceps æternæ salutis majorem curam gererent: alium, qui ad sacræ Hostiæ elevationem genua curvare prætermiserat, templo exesse mandavit. Rex verè Apostolicus.

XIII. DEIPARAM Virginem, Magnam Matrem & Dominam, filiali prosecutus est amore: hæc ejus fuit Cynosura, quotiescumque cum rerum difficultatibus colluctaretur, certus non se declinaturum a rectitudinis tramite, si in suis agendis avita pietate ad eam sua vota dirigeret, memor illius sacri Oraculi, quo in Libris Proverbiorum Sapientissimus Salomon ad hanc gloriosam Virginem allusit: *Per me Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Nam ut benè notat Abbas S. Rupertus: *Hac in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnum est, quandoquidem Mater est Regis coronati.* Atque ob hunc eximium cœlestis Reginæ cultum plurium victoriarum tulit lauros; victoriæ enim, quas frequenter reportavit, illis ferè diebus ei cœlitus obtigerunt, qui aut Marianam aliquam solemnitatem proximè antecedebant, aut

Hhhhh

im-

1711.

15. Juli an.  
1700. S. viaticum ad secundum deferentem comitur Presbyterium.

Cicero de Cœsa  
tare Philippica  
3.

Pœnitentiæ  
Sacramentum  
frequentat.

S. Ambrofius  
de Apolog. cap.  
1.

Ad S. Hostiæ  
elevationem  
genua non flexentem tem-  
plò excedere  
mondat.

B. Virginis &  
Sanctorum ex-  
imius cul-  
tus.

Proverb. cap.  
2. v. 15. & 16.

S. Rupertus  
in cap. 4 can-  
tus.

1711.

Campagna  
35000. libra-  
rum.

Colossus S.  
JOSEPHO  
rectus.

Alia pietatis  
monumenta  
Monferraten-  
sis, Carme-  
litis, Scholis  
Piis, Trinita-  
tis.

JUSTUS.

Isocrates de  
Nicote orat.  
2.

Ovid. I. Me-  
tam.

Secundum  
Leges judicari  
ullit.

S. Augustinus  
lib. 4. de Crois.  
DEI,

immediatè subsequebantur, ut nonnulli accuratè observarunt, an-  
notaruntque. Cæterùm ut multa paucis complectar: obtentas  
lauros aris & Numini consecravit. Æs victoriis acquisitum, sive  
æneas machinas, hosti erectas, in grandisonantis campanæ vastam  
molem conflari mandavit, quæ turri Basilicæ S. Stephani Proto-  
Martyris appensa trium & triginta millium librarum pondus ha-  
bet. Audiant id seri posteri, & ex hoc capite discant, quām in  
DEUM & cœlites pius fuerit, atque munificus Cæsar JOSEPHUS.  
Memor quoque voti, sui causâ a LEOPOLDO Patre suscepti,  
Colosseum Monumentum ex ligno tunc quidem affabré erigi juf-  
fit, quod posteà ex pretiosis marmoribus statuere decreverat: ve-  
rūm improba mors, quæ præclara ejus consilia interceperat, in  
causa fuit, ut Gloriosissimus Imperator CAROLUS VI. fraternæ  
pietatis æmulus supremam huic operi manum imponere necesse  
habuerit, qui illud ad architectonicæ artis miraculum die septima  
Augusti annô 1729. in foro piscario excitatum Desponsationi Virginis  
DEIPARÆ cum S. JOSEPHO dedicavit. In Bellifontis Palatio  
Divæ Magdalenæ pœnitenti facellum construxit. Religiosos co-  
etus Numini ritè famulantes summo affectu coluit, & res eorum  
tenues pro viribus auxit. Montem Serratum Viennæ possessio-  
nibûs dotavit, & sacrâ coronavit Insulâ. Ascetis Carmeli primam  
ad templi structuram subjecit petram. Piis scholis Viennæ pari-  
ter ad ingens suburbanæ juventutis commodum aperuit Gymna-  
sium; nos ipsos Redemptionis captivorum Trinitarios Pragam  
Bohemie Metropolim introduxit: ut jam missos faciam diverso-  
rum Ordinum sacros Parthenones, quos varias intra civitates  
julsi construi; innumera enim alia pietatis monumenta orbi reli-  
quit, quæ ad vitandum prolixitatis tedium recensere supersedeo.

XIV. Transeo ad justitiam, quæ benemeritis præmia, & de-  
linquentibus decernit supplicia. Hanc ita temperare solebat, ut  
nemo conqueri jure posset, se delictis suis majores pœnas  
luisse, aut minora meritis præmia tulisse. Sacerdotia confere-  
bat non nisi dignissimis: ad publica munera exaltabat non nisi  
exercitatissimos: Sapientissimos Proceres præfecit consiliis, fortis-  
simos Duces dedit exercitibus. Hostibus etiam inviolatam ser-  
vavit fidem; sed neque Isocrates de Rege Nicocle, quām de nostro  
JOSEPHO verius dicere potuit illud: *Etiam fædigragis infractam  
servavit fidem, atque perpetuò in id studium incubuit, eamque re-  
verentiam præsetulit, ut verbis suis major esset fides, quam aliorum jura-  
mentis.* Unò verbō: *Fidem, rectumque colebat.* Accidit aliquan-  
do, ut quidpiam inter justitiam & clementiam esset statuendum:  
ne itaque unam aliámve partem lèdere videretur, noluit indul-  
gere, quod potuit, sed præstitit, quod debuit, & secundum leges  
decerni mandavit, ne gratia transiret in exemplum pravitatis.  
Respexit nimirum ad auream illam S. Augustini sententiam: *Remo-  
tâ justitiâ, quid sunt regna nisi magna latrocinia.* Perpetuus tamen erat  
orphanorum & viduarum defensor, sua cuique justitiae distric-  
tione utabatur, æquitatis bilancem nec ad unam vel alteram par-  
tem detorqueri sinebat.

XV. Quoniam verò de virtute clementiæ feci mentionem, quantum Clementissimus Imperator hanc ipsam excoluerit, adsunt testes complures & singularia specimina; pauperum enim causas libenter audivit. Si quando foras prodiret, a multis plerumque egenis obsidebatur, quorum supplices libellos promptè exceptit, sicut ipse suas preces a DEO excipi desiderabat. Ad venationem solitus procedere, a mendicabulorum caterva invasus, & eorum importunitate vix non disceptus singulis stipem elargitus est, eisque filiorum compellatione blanditus, ne commotus adversus eos videretur, & ipsi deinceps a postulanda eleemosyna deterriterentur. Sæpè cum æs omne in pauperes dispersisset, & novi succederent mendici, qui de suo jam nihil habebat in loculis, aulicos comites rogavit, ut pauperibus impertirentur eleemosynam. Idem ego de JOSEPHO, quod olim de Tito suo Suetonius: *In ceteris verò desideriis omnium hominum obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret, quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam præstare posset: non oportet, ait, quemquam a sermone Principis tristem discedere . . . neque negavit quidquam potentibus, & ut quæ vellent petere, ultro exhortatus est.* Latiùs extendit clementiam Cæsar JOSEPHUS; ipsos enim etiam criminis læsæ Majestatis reos ad veniam invitavit, cunctantes expectavit, prolongavítque gratiæ moram, militum Duces cohibuit, ne in perfidos incendiis & districtis ensibus ad vindictam grassarentur, memor suos illos esse subditos, qui se fidos sponte aliquando juraverant, nunc verò aliorum magis suggestione & instigatione, quam proprio vitiō tumultuarentur. Maluit itaque ut propitius Pater supplices erigere, & complecti resipiscentes, quam ut severus Judex poenit in refractarios animadvertere.

1711.  
CLEMENS.

Sueton. in vita Titi cap. 8o

XVI. At verò sapientiam ejus quis dignè poterit enarrare? Quamvis autem arcana Principis nulli liceat perscrutari, ex effectibus tamen satis clarescit, qualiter, & quam sapienter JOSEPHUS omnia noverit ordinare. Diversorum quidem audivit consilia, sed securius & utilius semper elegit; ideoque raro vel nunquam a proposito suo excidit. Penetrabat omnia perspicaci, quô præditus erat, ingenio. Adversa ne evenirent, cautus antevertebat, suaque consilia universim ad Rei-publicæ tranquillitatem & pacem Europæ prudenter dirigebat. Secretè agebat omnia, nemini arcana pectoris sui aperire solitus; licet enim ad instar Alexandri Magni suos haberet Hephaestiones, eos tamen ipse jurati silentii religione quasi signatoriō annulō ita concluserat, ut nemini rima ad scrutanda Augusti cordis secreta patuerit, probè gnarus, silentium esse negotiorum animam. Celeberrimum illud Cæciliī Metelli apophthegma frequenter in ore habuit: *Si scirem banc vestem mei consilii esse consicam, protinus exutam in ignem conjicerem.* Quamobrem ut sapienter adversa prævidit omnia, sic quoque novit consiliis occurrere, atque hoc pacto sub umbra & tutela Sapientissimi Principis magna securitate quievimus, suavitérque vivimus, nemine hostium, ut primùm fasces Imperii suscepereat, finibus nostris appropinquare, aut felicitatem nostram perturbare auso.

SAPIENS.

Consiliorum taciturnitas.

Plutarch. in Apophtheg.

1711.

AUGUSTUS.

XVII. Et AUGUSTUS meritò fuit compellatus: non dicam ab interpretatione solum nominis, cum Joseph augmentum significet. & filius accrescens dicatur, sed omen in rem accipio. Quis eo superstite augeri jura Romani Imperii non vidit, & suspexit. Serenissima Domus Austriaca latius extendebat Dominatum. Sola nominis ejus gloria exterorum Principum foedera conciliabat: unde major Superis reverentia & promptius obsequium Principi nascebatur, artes florebant, eruditorum crescebat numerus, virtus omnis sub Augusto Cæsare velocius capiebat incrementum, & omnium felicitas in uno JOSEPHO propagabatur.

FELIX.

Pacatus in Pa-  
neg. Theod.  
Cap. 7.

Horat. lib. 4.  
Ode. 2.

Felicitas ter-  
rena corrumpit,  
eterna manet.

Felix in vita  
& in morte.

FORTIS.

Adversa quoque  
animò susti-  
net.

XVIII. Felicem omnibus numeris JOSEPHUM æquè dixi; nam genus nobilissimum, forma præstantissima, indoles excelsa, virtus eximia, præclaraque sapientia & opes immenses, quid nisi summa in terris felicitas? Præcipue cum tantis dotibus accesserit velut corona summus hujus mundi honor, nempe Imperatoria dignitas. Liceat hinc mihi JOSEPHUM nostrum alloqui ut olim Drepanius Pacatus Rhetor Theodosium Imperatorem: *Virtus tua meruit Imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstigit, ut oportet te Principem fieri; bæc ut deceret. O digna Imperatoris nobilitas! quæ bunc Romani fastigii apicem non solum fortitudine & sapientia, sed decore etiam corporis potuerit æquare.* Næ JOSEPHUS noster felicissimus multorum sæculorum Imperator censendus est, qui felicitate sua multos effecit felices; ipso namque nostris cordibus dulcissime imperante, ut afferuit quondam Horatius: *Re-  
deunt in aurum sæcula priscum. Cæterum ea multò sincerior, ma-  
jorque felicitas est, quæ hominem non solum in vita, sed animam etiam post corporis mortem comitatur, & in ævum perseverat;* terrena namque felicitas, quæ in splendore generis, in amicorum subsidiis, in opibus & armorum potentia consistit, a novercante fortuna, & rerum, temporumque vicissitudine corrupti, & subrui potest, non sic illa, quæ cum æternitate conjungitur, & in ævum perennat. Adhuc in ipsa quoque morte felix fuit Cæsar JOSEPHUS; extremò siquidem morbò correptus, cum de ejus periculo nemo quidquam gravius suspicaretur, ille superiore ductus instinctu cum DEO præteritæ vitæ inivit rationem, omnes animæ nævos & defectus in examen vocavit, amarè deflevit, lavit, veraque pœnitentiæ reatus suos confessus fuit; per Ecclesiæ mysteria supremum Judicem sibi reconciliavit, ornavit virtutibus animam, ad instar illius, qui spirituale lucrum de quovis momento querit, quod facit, ut ipsum certissimè confidamus æternam indeptum esse felicitatem.

XIX. Quamvis autem prospera torrentis instar, facto quasi agmine in eum defluenter, hæc tamen felicitas non adeò semper sibi constitit, ut non subinde ad exercendam ejus fortitudinem succederent adversa, & quideam gravissima, qualia sunt amittere primogenitum, tolli e vivis charissimum Genitorem, videre avitas coronas suas tot hostium insidiis peti, belli molem difficultissimò sæculò sustinere, tot dispendiis, tot fortunæ casibüs conflictari. Sed hæc omnia eadem animi tranquillitate, oris, vultusque ser-

serenitate fortissimus exceptit Imperator, Senecæ morum Præceptoris egregia secutus monita dicentis: *Hoc est præcipuum, posse latè animò adversa tolerare; quidquid acciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere.* Confirmavit ejus fortitudinem spes in DEUM solidata, & quod Jeremiæ Prophetæ quondam promissum erat, sibi meti si applicuit, videlicet: *Ego dedi te hodie in civitatem muniam, & in columnam ferream, & in murum areum super omnem terram.* Quidquid igitur ex omnibus orbis angulis ei ingrueret, sive ea prospera essent, sive adversa, eadem fortitudinis constantia excipiebat, atque adeò nec in prosperitatibus elatior, neque in adversitatibus fractior videbatur, quem neutrum horum ab æquabili animi tranquillitate dimovere potuit.

XX. Bella gessit per doctissimos armorum Duces, & DEO favente præclaras consecutus est victorias, iisque sic usus, ut easdem victori Numini ad aras substerneret, consecrarétque. Brevi sui Regiminis sexenniò tot cumulavit laureas, quas alii orbis Principes intra diurna tempora optare quidem poterant, non obtinere. Omnia siquidem JOSEPHUS Imperator victoriosis armis pervagatus est, ut potè, qui hostibus suis tot intulit strages, quot isti conflictus ei objecerunt, tot obtinuit victorias, quot nactus est prælia: alii aliis succedebant laurearum nuncii, & victoriarum miracula, quæ quidem ob frequentiam propè viluerant, exiguamque admirationem excitabant, quòd vincendi necessitatem Imperatoria fortuna, usu & compendiō sibi propriam individuamque fecisse videretur, ut testantur tot opima spolia, erecta trophyæ, & excusi more veterum laureati & triumphales ad posteritatis memoriam nummi complures. Pleni sunt de Cæsaris præliis & victoriis historicorum libri, nosque tempus & charta destitueret, si omnia ex illis recensere vellemus. Juvat igitur totam Josephinæ vitæ seriem eloquentissimis Marci Tullii verbis velut gemmâ quâdam obsignare, quibûs in oratione pro M. Marcello Julium Cæarem sic est allocutus: *Illa vita tua est Cæsar, quæ vigebit mea mortiæ saeculorum, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper insuebitur. Obstupescit posteri Imperia, Provincias, pugnas innumera-biles, incredibilis victorias, monumenta, munera, triumphos tuos.*

XXI. Deficiebat materia vincendi, & bellum propè confertum erat, cùm ex inscrutabilibus judiciis Divinæ placuit Providentia JOSEPHUM ad Superos evocare immarcescibili æternitatis laurea coronandum. Ad septimam Aprilis feriâ tertią post Dominicam Resurrectionis anno hujus saeculi undecimò, præter solitum se languidiusculè habere sensit: hoc tamen incommodò nihil territus, ut erat mentis excelsæ, sequenti die manè silvas petiit malignum in corpore humorem exercitatione, si posset, decocturus: dum per nemorum fertur recessus, caput & artus sibi gravari observat, citiusque ac proposuerat receptui canere jubens nemoribus supremum vale dixit. Ad aulam redux, quieti nihil indulxit, sed extremas vires exeruit in expediendis publicis negotiis, per horas omnino quatuor immoratus consiliis, memor Imperatorem etiam de genu pugnare, & tantem mori debere.

1711.

Seneca lib. 3.  
natural, quæst.

Jerem. cap. 1.  
v. 18.

VICTORIO-  
sus.

Cicer. de Cæ-  
sare in orat.  
pro M. Marcele  
lo in fine.

7. Aprilis lan-  
guorem sen-  
tit.

Sueton. in T.  
Fla. Vespas.  
cap. 24.

**1711.** Receptis meridianis epulis febri tentatus in cubile secessit cæteris depositis negotiis. Archiattrorum acutur solicitude; universos optimi Principis studium tenet. Eadem nocte non dubii variolarum prodromi eruperunt, ac paulò post totum corpus invaserunt. Preces subito omnia Tribunalium Collegia & civium tribus indicunt, fatigatur cœlum, obscurantur cœlites, ut optimum Principem pro salute Rei-publicæ incolumitati reddere vellent. Ad aras cum populo Sacerdotes per horas sibi continuò alternatim succedentes pro ægrotantis Cæsaris salute orant, & precanuntur. Ipse quoque JOSEPHUS Imperator minimè sibi defuit, sed apud conscientiæ arbitrum peccata sua magno animi dolore Confessionis Sacramentō expiavit, & inter tenerrimos cordis affectus sacram recepit Eucharistiam, ac deinde supremi Numinis, omnia in bonum dirigentis, voluntati se totum quantum commisit, & resignavit. Pavidum interim in populo ex periculi magnitudine vagatur murmur; premunt tamen adhuc omnes mœrorem, quod morbi malignitas sensim remittere nunciaretur: id aliquot diebus credebatur, aut dicebatur. At enim JOSEPHUS æger suæ valetudini diffisus, & de æterna salute solicitus non solum quotidianis confessionibüs, sed etiam generali de totius vitæ peccatis exomologesi conscientiam purgavit, ac profusis ex DEI amore ubertim lacrymis animæ maculas diluit, oculisque ad effigiem CHRISTI in cruce pendentis converso clementissimum humani generis Salvatorem his verbis est allocutus: *Mi DEUS! si me prævideres aliquando in peccata lapsurum, prius me jam pœnitentem e vita discedere velis.* Digna vox JOSEPHO, DEUM super omnia colente, & amante. Cum ingravescente infirmitate vires corporis magis quotidie attenuari animadverteret, sacrum sibi ad iter æternitatis viaticum deferri postulavit, lectumque circumstantibus mœsta conjuge & Augusta Genitrice non sine ingenti cordis compunctione sub panis speciebus velatum suscepit DEUM: ad extremam quoque animæ luctam sacrô oleo unctus ab Apostolicæ Sedis Nuncio benedictionem accepit. Demum afflictissimæ conjugi valedixit, & Augustæ Matri adusque Serenissimi Fratris CAROLI Regis adventum Regna sua & Hæreditaria Dominia gubernanda commisit, atque his curis perfunditus denique die decima septima mensis Aprilis fortiter in Domino occumbens legi naturæ cessit, & magnam animam horâ mediâ post decimam ante meridiem ad Superos transmisit, postquam vixisset Annis XXXII. Mensibus VII. Diebus XXII.

*Summi Pontificis benedictione imperatur.*  
Augustæ Matri Regna committit.  
17. Aprilis obit.

*Ex nostris omnium primus pro defuncto sacrificat.*

**XXII.** Fama deinde de tanti Principis obitu per urbem diffusa incredibilem ubique excivit planctum & ploratum. Primus tristissimæ rei nuncius Aulicum Sacellum pervasit, ubi Sacerdotes pro Cæsaris incolumitate incruentam DEO victimam litabant, qui deinceps jussi sunt mutato ritu pro defuncti Cæsaris anima sacrificare. Eo tempore, ut per parergon hoc quoque interseram, P. Joannes ab Angelis Ordinis nostri Religiosus etiamnum, dum hæc scribo, in vita superstes, sacrâ jam vestibûs indutus in procinctu stabat, ut finitô alterius Sacerdotis sacrificiô ipse confestim

aras

*Variola prosumpunt.  
Preces pro salute Principis.*

*Confiteatur &  
S. Eucharistiam recipit.*

*Post genera-  
lem confes-  
sionem viaticum  
& extre-  
matu-  
unctionem  
accipit.*

*Verba ejus.*

atas adiret, & pro salute Cæsaris consequenter Missam suam inchoaret, cùm superveniente de Cæsar's morte huncio omnia mutare oportuit, atque hac ratione ei occasio obtigit primum sacrificium pro defuncti, ac de Ordine nostro optimè meriti Imperatoris salute immolandi. Sed ut ad ea revertamur, unde pauculum digressi sumus, Cæsar's transitu evulgato non solum Viena, sed remotissima etiam loca, ad quæ fama tantæ calamitatis penetraverat, communi luctu involuta fuerunt, ipsis quoque infantibus, ut testantur, qui suis oculis rem viderant, solo naturæ ductu in mœroris societatem descendantibus, & amarissimis lacrymis mortem Imperatoris deflentibus, quamvis per ætatis conditionem eum ne noscere quidem potuerint.

1711.

Luctus ubique.

XXIII. Exanime corpus pro more pretiosis unguentis fuit pollinatum; præcordia ad S. Stephani Proto-Martyris Basilicam sunt deportata: cor cessit Lauretano B. Virginis Sacello apud PP. Discalceatos Eremitas S. Augustini, ubi supra loculum in argentea tabella sequens legitur inscriptio:

Præcordia ad  
S. Stephani,  
cor ad B. Vir-  
ginem Laure-  
tanam condi-  
tur.Cœdis locu-  
lis.

HOC PARVO LOCULO  
MAGNUM CLAUDITUR  
EXPERS VITA  
VITÆ PRINCIPIUM  
COR  
JOSEPHI PRIMI  
AUGUSTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS  
QUI NATUS ORBI  
ANNO M. DC. LXXVIII. DIE XXVI. JULII.  
VARIOLIS EXTINCTUS  
ANNO M. DCC. XI. DIE XVII. APRILIS  
HORA DECIMAM INTER ET UNDECIMAM  
MEDIA  
ANNUM ÆTATIS AGENS XXXIII.

XXIV. Solemni funeris pompâ delatus est ad communem Cæsarum sepulturam, Majoribus piè ritèque appositus. Justa funebria per omnes passim Regnum & Provinciarum Ecclesias optimo Principi persoluta fuere; cui etiam noster Conventus Viennensis ad secundam & vigesimam mensis Maii insigni pompa parentavit, eumque P. Ignatius a S. Michaële Archi-Confraternitatis nomine facunda panegyri ornavit. Demum corpus defuncti Cæsaris post modicum tempus in Regium sarcophagum ex stanno artificiosè elaboratum jussu CAROLI VI. Augusti Fratris Successoris translatum, & sequentibus inscriptionibus decoratum fuit:

COMMODATUS ORBI M. DC. LXXIIX.  
REGNO HUNGARIÆ M. DC. LXXXVII.  
REGNO ROMANORUM M. DC. XC.


1611.

WILHELMINÆ AMALIÆ M. DC. XCIX.  
IMP. ROM. BOHEM. ET PROV. CÆT. M. DCC. V.  
COELO REDDITUS, AN. M. DCC. XI.

DIE XVII. APRILIS.

VICTOR UBIQUE PERPETUUS  
OSTENDERUNT TERRIS HUNC TANTUM FATA.  
IMP. CÆSARI AUGUSTO JOSEPHO SEMPER INVICTO.  
FRATRIS PIETAS AMORE ET TIMORE.  
MANET ÆTERNUM DIADEMA MONARCHÆ.  
NUNQUAM MARCUIT LAUREA JUSTI.  
PIUM MORS IPSA CORONAT.

Ubi nos ipsi ad urnam & sortis instabilitatem consistimus attoniti.  
Nunc autem ob immensam luctus & moeroris acerbitudinem  
languida conticescit oratio, hæret calamus,  
& liber desinit.



AN.